



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et
Exercitiis Accommodatæ Libri IV**

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Ex Secvnda Secvndæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

formis futurus, negatur consequentia: ex meritis enim præteritis & futuris nihil probatur pro tempore medio, & ex actibus Charitatis non bene inferitur vis merendi per illos, quia hoc ipsum est in questione, an Elias per actus Charitatis nunc mereatur, cum etiam PP. in Limbo, & animæ in purgatorio elicerint frequentes actus Charitatis, nihil tamen per illos meruerint. Melior ratio ab aliis pro merito S. Elia afferri solet, quod incapacitas meriti cum dilatione æternæ gloriæ, esset nimis onerosa & difficilis, ut proinde in compensationem dilatæ gloriæ rationabiliter asseratur capacitas continuo augendæ gloriæ. Sed hanc rationem Adversarius non invenit in S. Thoma, & ideo maluit eam omittere.

208. Fundamentum verò, quo nititur P. Haunoldus contra statum merendi, insitit principiis S. Thomæ. Certum enim est, quod Enoch & Elias sint positi in tali statu, in quo nec interior, nec exterior certamen sustinent: sed juxta S. Thomam alterutrum requiritur ad meritum: unde, ut salvet meritum hominis in statu innocentie, 2. dist. 29. 2. 4. ad 2. inquit. [Dicens, quod quamvis homo in primo statu non habuerit certamen interius, habuit tamen certamen exterius, unde & victoriam habere potuit, qua coronam mereretur.] Subsumit itaque P. Haunoldus. Atqui Elias neutrum certamen habet, ergo juxta principium S. Thomæ non meretur; quod Adversarius non satis perpendit, aliàs meritum Angelorum (qui utique certamine non caruerunt, teste Jo. Apoc. 12. v. 7. & Isa. 14.) & meritum hominum in statu Justitiæ originalis non adduxisset pro instantia, neque hanc in relato textu S. Thomæ fundasset.

209. Idem Fundamentum P. Haunoldi, ut clarius pateat, quod innitatur principiis S. Thomæ, potest etiam hac formâ efferi. Si Elias, altissima DEI contemplationi, & exinde manantibus ferventissimis actibus Charitatis jugiter insistat (quæ sunt Verba Adversarii,) adeo, ut in continuo raptu non solum corporis, sed etiam mentis versetur, atque perpetuam amoris ecstasim patiat, cujus vehementi dilatæ gloriæ moram leniter terat, tunc Elias non habet cognitionem indifferentem ad contemnendum ullum bonum temporale, sed cognitio indifferens & victoriosa boni temporalis ad libertatem actionis meritorie est simpliciter necessaria, ergo &c. Minor est indubitata, & supra à S. Thoma tradita. Major probatur iterum ex S. Doctore 1. 2. q. 28. a. 3. in C. ubi ecstasim distinguens in apprehensivam & appetitivam, ait: Primam quidem ecstasim facit amor dispositivè, in quantum scilicet facit meditari de amato, ut dictum est. Intensa autem meditatio unius abstrahit ab aliis. Quam vehemens autem hæc sit abstractio (præ-

sertim in S. Elia) mox indicat S. D. in Responsione ad 1. ubi concedit, quod prima ecstasis faciat, quandam Alienationem, ut amans non sit sui compos. similia habet de raptu Amoris in 2. 2. q. 175. a. 2. in C. & ad 2.

210. Aliud adhuc Fundamentum suppledit S. Thomas 2. Cor. 12. lect. 1. K. ubi de Enoch. (eodem autem est ratio Elia.) inquit: Sed attende, quod aliquis homo dicitur raptus ab hominibus, sicut Enoch. Sap. 4. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Subsumo. Atqui raptus, qui indicatur in cit. loco Sap. reddit incapacem meriti ac demeriti, & juxta S. Aug. aliòsque SS. PP. ac interpretes communiter fit per mortem, ut adeoque raptus Elia & Enoch eodem quoad effectum incapacitatis ad merendum vel demerendum saltem æquiparetur. Unde sic ulterius arguo. Vel Elias & Enoch possunt mereri, & demereri, vel solum possunt mereri. Non primum, quia est expresse contra S. Thomam, & Adversarius suo S. Patri immerito tribueret titulum Sancti in speciali sensu. Non secundum, quia sicut capacitas tanto tempore demerendi esset nimium onerosa, sic capacitas solummodo merendi esset nimium lucrosa, ita ut nullus Sanctus (exipio Beatissimam Virginem,) potuisset Elia merita æquare; quæ prærogativa neque à S. Thoma inter plura ab Adversario relata encomia memoratur, utique tamen ante omnia memoranda. Cæterum dilatio cælestis gloriæ quoad tantum tempus, sufficienter compensatur, ejusdem reservato adhuc augmento, quod sibi Elias & Enoch in fine Mundi promerebuntur, & quod proinde eternæ Gloriæ pondus longè est operabilius, quam actualis possessio Gloriæ minoris. Verum per hæc Fundamenta nolim ego quidquam meriti demere S. Patri Elia, sed solum ostendere, P. Haunoldi Doctrinam illis non caruisse.

EX SECVNDA SECUNDÆ.

CONTROVERSIA XLIX.

FIDEI RESOLVTIO.

*An Fides etiam resolvatur in
Locutionem DEI Mediatam vel
Immediatam.*

211. PER hæc Verba, quæ Adversarius ex P. Haunoldo adducit, asserente lib. 3. n. 113. [Fidem nostram ultimò resolvit

N 2

208

non solum in revelationem DEI immediatam, sed etiam mediatam, ita ut motiva credibilitatis non habeant meram rationem autoritatis humanæ, sed sint revera locutio Divina.] Cujusmodi sunt, ut n. 115, inquit : *Omnes libri Canonici, & Definitiones Conciliorum*. P. Haunoldus nullo modo, multò minus evidenter, ut Adversarius objicit, adversatur Angelico Doctori, in illud Joan. 4. *Tam non propter tuam loquelam credimus*, ita scribenti : [Quomodo credent sine prædicante ? sed quando per hoc homo manu ductus credit, tunc potest dicere : quòd propter nullum istorum credit, nec propter rationem naturalem, nec propter testimonia legis, nec propter prædicationem aliorum : sed propter ipsam Veritatem tantum.] Per hæc enim Verba in primis S. D. non negat, quòd libri Canonici, seu Verba Legis, & prædicatio Apostolorum vel aliorum, sint locutio Divina, seu Verbum DEI, tanquam Primæ Veritatis loquentis, cui, & propter quam creditur : aliàs contradiceret sibi ipsi, quando illa Verba S. Pauli ad Heb. 1. v. 1. *Multifariam, multisque modis olim DEVS loquens Patribus in Prophetis* : explicat lect. 1. Lit. I. dicens : *In Prophetis, id est, per Prophetas*. Et in altera columna vers. finem, movet de modo loquendi S. Pauli hanc quæstionem. *Sed rursus : quæritur, quare dicit in Prophetis, cum potius debuisset dicere, per Prophetas ? ad quod mox subiungit hanc responsionem. [Dixit, in Prophetis, quasi non ipsi locuti sunt ex se, sed Deus locutus est in eis. 2. Pet. 1. Non enim Voluntate humanâ allata est prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti DEI homines.] Et post intervallum contestans, Deum non minùs olim locutum esse Patribus in Prophetis, quàm novissimè locutus est in Filio, sic interpretatur Verba S. Pauli : utrobique dicit locutus est, vel loquens, & denotat eundem esse Autorem veteris & novi Testamenti. Et super Verba epistolæ I. ad Thessal. c. 2. [Quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus DEI, accepistis illud non ut Verbum hominum, sed (sicut est verè) Verbum DEI.] Per se quidem clarissimè probantia intentum, ita commentatur : [Dicit Verba auditus DEI à nobis, id est, per nos. Ps. 84. Audiam, quid loquatur in me Dominus DEVS. Rom. 10. Fides enim ex auditu, auditus autem per Verbum Christi. Accepistis illud, id est firmiter in corde tenuistis, Non ut Verbum hominum, quia vana Verba hominis, 2. Cor. 13. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ?] Et q. 14. de Verit. a. 8. in C. inquit S. D. [Vnde neque hominis, neque Angeli Testimonio assentire, infallibiliter in Veritatem duceret, nisi quantum in eis loquentis DEI testimonium consideratur.] Rursum q. 18. de Verit. a. 3. in C. hæc habet. [Sed fides est duplex, scil. secundum duplicem auditum, & duplicem locu-*

tionem. Est enim Fides ex auditu, ut dicitur Rom. 10. Est etiam quædam locutio exterior, quâ NB. Deus nobis per Prædicatores loquitur ; quædam interior, quâ loquitur nobis per inspirationem internam.]

212. Deinde, quòd per textum ab Adversario allatum S. Thomas non neget, libros Canonicos, Verba Legis, prædicationes Apostolorum, & aliorum, sicut sunt Verbum Dei, ita etiam esse partiale motivum Fidei, & non meram conditionem, quòdque proinde ipse Adversarius Testimonium S. Doctoris nobiscum explicare, ipsèque dissolvere debeat suum vulgare argumentum, his Verbis constructum ; [Si enim Testimonia legis, sive libri Canonici & alia, quibus manu ductus quis credit, spectent ad motivum formale fidei ; etiam propositio bonitatis objecti, qua manu ductente amamus, pertinebit ad rationem formalem amoris ; & sic aperuit Haunoldus Viam, quæ omnes conditiones possint eliminari.] Hoc, inquam, turris claris Testimoniis S. Thomæ demonstratur ; nam q. 14. de Veritate a. 7. ad 7. ait : [In Fide est aliquid ex parte cognitionis, prout fides est argumentum, & sic quantum ad huiusmodi argumentationis principium actus Fidei dicitur credere DEO. Ex hoc enim NB. movere ad assentiendum credens alicui, quia est Divinitus dictum.] Deinde a. 8. in C. inquit. [Hoc, quo infallibiliter verum dicatur, Fides non potest habere, quæ Virtus ponitur, ex ipsa rerum evidentia, cum sit non apparentium. Opponit igitur, quòd hoc habeat ex hoc. NB. quòd adheret alicui Testimonio, in quo infallibiliter Veritas invenitur.] Et post intervallum cum S. D. dixisset. [Neque hominis, neque Angeli testimonio assentire infallibiliter in veritatem duceret, nisi quantum in eis loquentis DEI Testimonium consideratur.] Statim infert. [Vnde oportet, quòd Fides, quæ Virtus ponitur, faciat intellectum hominis adherere Veritati, quæ in Divina cognitione consistit.] Ex quibus evidens est, à S. D. pro eo sumi : *Adherere alicui Testimonio in quo infallibiliter Veritas invenitur : & adherere Veritati, quæ in Divina Cognitione consistit*. Hoc ipso enim, quòd in Divino testimonio, scil. in libris Canonicis, Verbis Legis, Prædicationibus hominum vel Angelorum, non consideretur Veritas creata & fallibilis ejus Scriptoris Canonici, vel ejus Prophetæ, Apostoli, aut Prædicatoris, per quem Deus loquitur, sed prima Veritas Divinæ Cognitionis, id est, DEI loquentis, quando homo credit, tunc potest dicere, quòd propter nullum istorum credit, nec propter rationem naturalem, nec propter testimonia legis, nec propter prædicationem aliorum (considerando nimirum in illis aliam creatam Veritatem Scriptoris Canonici, vel Prædicatoris, vel rationis naturalis) sed propter ipsam Veritatem ratio-

nam, nempe primam Veritatem, non præcisè secundum se spectatam, sed ut loquentem, & nec in loquendo, nec in cognoscendo fallentem. Et sic debuisset Adversarius à se propositum textum intelligere, accipiendo cum S. Paulo & Angelico Doctore ab hominibus Verbum auditus DEI, non ut Verbum hominum, quo modo credens potest dicere, quod propter nullum istorum credit, sed sicut est verè, Verbum DEI. Plura in hunc finem S. Doctoris Testimonia adducam sequenti Controversiâ.

213. Nunc ad ejus objectionem, responsionem subnecto; & nego paritatem inter Testimonia legis, quæ in ordine ad ponendum assensum objecti revelati, debent cognosci, & affirmari, ut quod, atque ut vera, & inter Cognitionem objecti amabilis, quæ tantum se habet, ut quo, & non ut bona. Potius ad mentem Angelici Doctoris debuisset Advertarius instituire paritatem inter Testimonia Legis, & inter Principia, moventia Intellectum ad Conclusionem scientificam: Ita enim S. Doctor. q. 14. de Verit. a. 8. ad 16. loquitur: [Testimonium Veritatis Primæ se habet in Fide, ut Principium in Scientiis demonstrativis.] Sublimo. Atqui Principium est motivum formale assensus scientifici, ergo Testimonium Veritatis primæ est Principium formale assensus Fidei. Neque tamen propterea aperta est Via, quæ omnes conditiones possint eliminari; plures enim conditiones tam remotæ, quam proximæ requiruntur ad obtinendum donum Fidei, quibus partim procuratur Verbum DEI, partim disponitur Intellectus, ut ritè apprehenso & percepto assensum præbeat.

CONTROVERSIA L.

VERA ANALYSIS.

An, & quomodo hæc fiat in Locutionem Ecclesiæ.

214. Hoc ipso, quod Adversarius concedat, factum Fidei resolvi in auctoritatem Ecclesiæ, quatenus Evangelio credimus propter Auctoritatem Ecclesiæ, seu, quatenus hujus Auctoritas datur pro ratione, & assignatur tanquam motivum formale assensus, querenti, quare credamus hoc vel illud esse à DEO revelatum: Jam etiam concedere debet, Testimonium Ecclesiæ, ut hæc est Organum Spiritus Sancti, esse Testimonium ipsius Dei, & partiale motivum formale, quo affirmato Intellectus inducitur ad affirmandum objectum revelatum, & ad ipsam revelationem immediatam, Prophetis, vel Apostolis factam, adeoque veram Fidei Analysin



non quidem fieri in Auctoritatem Ecclesiæ, ut merè humanam, & sic P. Hammondum lib. 3. n. 111. non nimis indistinctè negasse, Fidem resolvì in aliquid humanum, videlicet in Ecclesiæ Auctoritatem; fieri tamen in doctrinam seu testimonium Ecclesiæ, quatenus est Verbum seu Locutio DEI.

215. Ratio est Clara, quia non tantum objectum revelatum Prophetis & Apostolis credimus Fide Divinâ, sed etiam ipsam revelationem credimus Evangelio Fide Divinâ, & eadem Fide quoque credimus ipsum Evangelium scriptum; nempe propter Testimonium Concilij Trid. sess. 4. credimus hunc Articulum Fidei, quod Evangelium sit Liber Canonicus, ex quo consequens est, Testimonium Ecclesiæ, cui hæc Fides innitur, esse Locutionem DEI, cum Fides esse non possit, nisi in Locutione Dei fundata. Pari ratione cum in consueta formula Fidei & ex decreto Trid. l. c. profiteamur etiam eorum Fidem, quæ explicitè non per Scripturam, sed per Ecclesiæ traditionem sunt revelata, patet, Ecclesiæ Testimoniū esse veram Locutionem DEI, & licet proinde Fides in eam resolvatur, non tamen propterea resolvì in aliquid humanum; quod præcedenti Controversiâ pluribus apertis Testimoniis Angelici Doctoris confirmavi, neque aliàs salvari posset firmitas Fidei: Quamvis enim assensus, quem fidelis præbet DEO, sua mysteria revelanti, sit firmissimus, supposito, quod constet infallibiliter, ea à Deo fuisse revelata, hoc ipsum tamen suppositum non constat infallibiliter, nisi per Testimonium Ecclesiæ, Testimonium Ecclesiæ autem non est infallibile, si consideratur, ut aliquid merè humanum, & non prout in illo reperitur Veritas prima loquens, & certificans tam de objecto revelato, quam de existentia revelationis. Hinc S. Thomas lect. 2. in 1. Thessal. c. 2. ex firmitate Fidei, nec mortis metu superatâ, probat, S. Paulum ideo dixisse: [Accepistis Verbum, non ut est hominum, sed, sicut est verè, Verbum DEI, quia exposuistis vos pro illo usque ad mortem. Per hoc enim quod homo moritur propter Christum, testificatur, quod Verba Fidei, sunt Verba DEI.]

216. Atque ex his ulterius colligitur, ab Adversario non tantum malè fuisse concessum, quod Fides resolvatur in Testimonium Ecclesiæ, ut habens Auctoritatem merè humanam; sed etiam malè fuisse negatum, quod quoad assensum, quem fidelis præbet DEO sua mysteria revelanti, resolvatur in aliquid aliud, quam quod est DEVS in re, ut ipse inquit. Etiam si enim 2.2. q. 1. a. 1. in corp. S. D. dicat: In fide si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud, quam Veritas Prima, per hoc non excludit Locutionem externam DEI, mediatam vel immediatam à ratione formali ut quo, quo scil. infallibiliter cognito & affir-

affirmato, venit in cognitionem Scientiæ, quam prima Veritas habet de objecto revelato, in quantum nimirum DEV ratione infinitæ suæ veracitatis in loquendo, non posset ponere hanc Locutionem externam, nisi etiam haberet talem cognitionem de objecto revelato, cujus cognitionis infallibilitas, & essentialis ac prima Veritas, est proinde ultima ratio formalis, & motivum, ut quod, verificans ipsam Locutionem, quo sensu S. D. dixit, quod ratio formalis in Fide nihil sit aliud, quam Veritas prima: quia tamen hæc in resolutione Fidei non debet sumi secundum se, sed ut conjuncta cum ratione formali ut quo, seu ut loquens, statim subjunxit S. D. Non enim Fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi NB. Quia est à DEO revelatum. Ubi particula causalis, Quia, afficit utrumque, nempe Veritatem Primam revelantem, tanquam adequatam rationem formalem ut quod, & revelationem tanquam rationem formalem, ut quo. Hinc in sensu Copulativo S. D. q. 5. a. 3. in C. inquit. [Formale objectum Fidei est Veritas Prima, secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, NB. Et doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex Veritate Prima. Vnde quicumque non inhæret, sicut infallibili & Divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex Veritate Prima in Scripturis Sacris manifestatâ, (Ecce juxta S. Thomam doctrina Ecclesiæ non debet spectari, ut aliquid humanum & fallibile, sed ut locutio DEI, procedens ex Veritate prima,) ille non habet habitum Fidei.] Idem S. D. 1. p. q. 1. a. 8. ad 2. Expressè dicit. [Innititur enim Fides nostræ revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt.] Subsumo. Atqui id, cui innititur fides, est parziale motivum, saltem, ut quo, & in illud resolvitur Fides. Ob eandem rationem S. Magister in q. q. disput. q. 2. de Charitate a. 13. ad 6. ait. Formalis autem ratio objecti in Fide est Veritas Prima, NB. per doctrinam Ecclesiæ manifestata, sicut formalis ratio scientiæ est medium demonstrationis. Iterum subsumo. Sed medium demonstrationis est ratio formalis, in quam resolvitur assensus conclusionis scientiæ, ergo non sola Veritas Prima secundum se, sed ut connotans doctrinam Ecclesiæ, tanquam rationem formalem partialem, ut quo, est id, in quod resolvitur Fides, velut in complexum ex ratione formali, ut quod, & ut quo.

217. Vnde tandem pro excludenda doctrina Ecclesiæ à ratione locutionis Divinæ, & partialis motivi ad credendam revelationem præteritam Prophetis & Apostolis factam, non tam contra P. Haunoldum, quam contra relatâ testimonia S. Thomæ, concludit Adversarius, sic inferens: [Si autem ut n. 111. voluit Haunoldus, ea omnia, per quæ nobis revelatio præterita applicatur credibilis, essent constitutiva

Locutionis Divinæ, quid superest, nisi, ut etiam dicatur, approximationem, quæ ignis applicatur ad comburendum, esse constitutum illius.] Respondetur tamen facile, hoc non sapere, quamdiu Adversarius non probaverit, actionem combustivam effectivè procedere ab approximatione, sicut fides intentionaliter procedit à doctrina & Testimonio Ecclesiæ, propter quod creditur, & juxta sensum & interpretationem Ecclesiæ creditur revelatio præterita in Scripturis sacris manifestata; ob quam causam non sufficit, ut per doctrinam Ecclesiæ menti præteritæ proponatur & applicetur revelatio præterita, sicut per approximationem res combustibilis applicatur igni, sed requiritur juxta S. Thomam, ut doctrina Ecclesiæ procedat ex Veritate prima tanquam Divina regula infallibilis, adeoque tanquam Locutio Dei. Vnde si revelatio præterita posset statim ad sui assensum movere, quamprimum intellectui fuit applicata, sicut ignis potest statim producere combustionem, quamprimum est applicatus objecto combustibili, & si non requireretur, ut Ecclesiæ Autoritas infallibilis, ac Divina nos moveret ad credendum Scripturæ, tunc aliquid diceret Adversarius, alias non rectè instituit paritatem.

CONTROVERSIA LI.

REVELATIO PRIVATA.

An hæc sufficiat ad actum Fidei Divinæ.

218. Cum Adversarii Doctrina nec in Autoritate S. Doctoris Aquinatis, nec in ratione fundetur, & ex una parte parum utilitatis, ex altera multum quæstionis de nomine habeat, per nimis inurbanam censuram dixit, [Manca est doctrina Haunoldi lib. 3. n. 136. dicentis, eum, cui revelatio privata fit, posse elicere actum Fidei nostræ circa illam revelationem, & objectum illius.] Defectum autem hujus doctrinæ putat Adversarius in indistinctione revelationis privatæ consistere, cum tamen alia sit privata ratio materiæ revelatæ, alia ratione personæ, per quam Deus aliquid revelat. Quoad primam acceptionem his Verbis se opponit Adversarius. [Revelatio privata ex parte materiæ revelatæ, quando nimirum Veritas manifestata ad communem totius Ecclesiæ instructionem non pertinet, nec Ordinem habet ad DEV, ut ad objectum formale quod Fidei nostræ, nisi revelaretur numerus stellarum, non spectaret ad Fidem Theologicam, sed ad donum prophetiæ, vel aliud lumen supernaturale transeuntem communi-

municatum : quia ex S. Thoma hîc q. 1. a. 1. nihil cadit sub Fide, nisi in ordine ad DEVM.

219. Verùm hæc ratio ex S. D. unice allata est manca : quia supponit veritatem privatam, à DEO revelatam, non habere ordinem ad DEVM : cui supposito expressè adversatur S. Thomas. 1. 2. q. 112. a. 5. in C. & 1. dist. 16. a. 1. ad 5. Vbi docet, quòd licet nemo scire possit, utrum dignus sit odio vel amore, Deus tamen hoc aliquando revelet aliquibus ex speciali privilegio : Subsumo : Atqui hæc Veritas privata habet ordinem ad DEVM, tam ratione objecti materialis, quia gratia dicit ordinem ad Deum tanquam Autorem rerum supernaturalium, & tanquam ad Beatitudinem nostram supernaturalem, quam ratione objecti formalis quod Fidei nostræ, scil. Primæ Veritatis, cuius infallibili cognitioni & certitudini per revelationem proponitur subistere, quemadmodum S. D. q. 14. de Veritate. a. 8. ad 14. de passione Christi inquit : *Dicendum, quòd de Passione non est Fides, nisi secundum quod conjungitur Veritati æternæ, prout Passio circa DEVM consideratur.* Vnde ipsa passio quamvis secundum se considerata sit contingens, tamen secundum quod Divina præsentia substat, prout est de ea Fides & prophetia, immobilem Veritatem habet. Idem dici potest de gratia hominis particularis, illi ex speciali Privilegio privatim revelatâ, proinde potest per eundem habitum Fidei Primæ Veritati credere, quo credit alia objecta, communiter revelata. Vnde etiam Concilium Trid. cum sess. 6. cap. 9. definitivisset, quòd nullus scire valeat certitudine Fidei (non dicit certitudine Prophetiæ, vel alterius doni supernaturalis, prout secundum terminos artis, & Theologicæ, loqui debuisset in sententia Adversarii, cognitionem certificantem adscribens prophetiæ, vel alii lumini supernaturali) id ipsum tamen limitavit cap. 12. & can. 16. per particulas *nisi ex speciali revelatione.* Hujus suæ assertionis P. Haunoldus l. c. rationem à priori assignat his Verbis : Hoc, quod est, revelationem esse privatam vel publicam, non variat toto genere modum tendendi, aut obligationem credendi, nec objectum formale seu motivum, & in hoc non est nisi differentia materialis : ergo ex nullo fundamento probatur esse diversæ rationis.

220. Quoad secundam acceptionem Revelationis privæ Adversarius pergit, ita loquens. [Revelatio autem privata ratione personæ, quando scil. aliquid revelatur, & non per Ecclesiæ Principes, si manifestaret aliqua Christianam Religionem concernentia, & ad DEVM, ut Autorem supernaturalium ordinata, licet non spectaret ad Fidem, quâ Catholicam, id est, universalem, pertineret tamen ad Fidem, quâ Theologicam : quod solum probavit Haunoldus, nec à Thomistis negatur, ut putavit.] Verùm

sicut tota Controversia, utrum idem habitus Fidei, vel alia qualitas supernaturalis producat assensum præstitum Revelationi privæ, est exigui momenti, & utilitatis, ita hîc Adversarius eam transfert ad quæstionem de nomine, cum tamen P. Haunoldus non quærat, an actus Fidei nixus revelatione privatâ vel habitus, quatenus influit in illum actum, debeatur nominari Fides Catholica, vel non (quæ est denominatio habitui prorsus accidentalis, & extrinseca) sed solum inquirat, an actus innixus revelationi privatæ procedat ab habitu Fidei nostratis, quod dum Adversarius concedit, quando revelatio tenens se ex parte objecti formalis, est privata, quia DEVS per illam loquitur modo extraordinario, & non per consuetos Ecclesiæ Ministros, multo magis in priori acceptione revelationis privæ, ubi diversitas revelationis præcisè spectatur ex parte materiæ, id ipsum concedere debuisset : & ideo discrimen ab Adversario adhibitum est superfluum, & doctrina P. Haunoldi consequenter & coherentè procedens, non est manca.

221. Caterùm Autoritas Tridentini & ratio, quæ geminâ probatione P. Haunoldus usus est, non magis probat ejusdem habitus Fidei influxum secundum posteriorem acceptionem Revelationis privæ, quam secundum priorem, imò secundum hanc probat directius. Quòd autem Adversarius dicat secundum posteriorem acceptionem non negari à Thomistis ejusdem habitus influxum, aperte contradicit P. Joanni Baptista Gonet, disp. 1. de Objecto Fidei n. 68. ex quo suum discrimen Adversarius videtur desumpsisse. Hic quippe Autor sic loquitur. [His præmissis facile poterit resolvi difficultas proposita, quæ Theologos in duas sententias. NB. extremè oppositas divisit, quibusdam affirmantibus, aliis verò id negantibus, in quam partem NB. magis communiter inclinant Thomistæ. Existimo tamen utramque sententiam conciliari posse, distinctione adductâ duplicis revelationis privæ, & duplicis Fidei, Catholicæ scil. & Theologicæ &c.]



CONTROVERSIA LII.

OBSCURITAS FIDEI.

An Fides Divina possit stare cum Scientia.

222. **I**N hac Controversia non contendo cum Adversario pro Autoritate S. Thomæ, ad persuadendam assertionem P. Haunoldi, lib. 3. n. 293. dicentis, *actum Fidei Divinæ non repugnare cum evidentiâ physica objecti revelati, quæ habetur per sensus*: cum enim etiam P. Haunoldus pro responsione & mente S. D. intelligendâ, quando is in 2. 2. q. 1. a. 4. adversari videtur, Lectorem ad Petrum de Aragon, remittat, & potius assertionis suæ Veritatem ratione confirmet, sat magna Autoritate Alberti M. 3. dist. 24. a. 9. & S. Bona. ibid. a. 2. q. 3. subnixam: Ideo referam solummodo argumentum P. Haunoldi, ab Adversario dissimularum.

223. [Omnis actus circa cujus objectum potest intellectus ab alio actu adjuncto accipere firmitatē & robur in adherendo, potest cōjungi cū tali actu, à quo accipit ejusmodi firmitatem & robur: sed intellectus stante evidentiâ physica, potest ab actu Fidei accipere firmitatem & robur. Ergo potest cum actu Fidei conjungi. Major patet, quia nulla ratio est, cur intellectus repudiet actum, à quo potest magis in suo fine firmari; sicut Voluntas nullum bonum necessariò respuit, quo ejus finis potest promoveri. Minor autem probatur. Evidentiâ physica non ita certificat intellectum, ut ejus motivum assentiendi appareat penitus infallibile, nec meretur assensum, quo quis judicet, rem non posse se aliter habere, adeoque vi suæ apparentiæ posset in aliquo sensu admittere prudentem formidinem, quia posset fallere, cum defacto multæ hujusmodi evidentiæ physica fallant, (supposito scilicet miraculo) atqui sic jam admittit intellectus circa illius evidentiæ objectum, aliquam firmitatem, & robur, præsertim ab actu Fidei, cujus motivum meretur credi, quod non possit fallere.] Ita P. Haun.

224. Ad Testimonium S. Pauli ad Hebr. 11. dicentis, quod Fides sit *Argumentum non apparentium*, & ad Testimonium, quod huic addi posset, S. Augustini tract. 40. in Joan. inquit: *Quid est Fides, nisi credere, quod non vides?* Rectè respondet P. Haun. n. 296. sensum illorum Verborum non esse exclusivum, sed potius extensivum, seu ampliativum, hoc est, non esse sensum, quod fides, sit tantummodo argumentum non apparentiū, seu non potentiū apparere cognitione naturali: sicut nec Verba S. Pauli immediatè

antecedentia. *Est autem Fides sperandarum substantiarum rerum*: in sensu exclusivo prolata sunt, quia etiam ea credimus Fide supernaturali, quæ non speramus, sed potius tememus, ut infernum, & pœnas pro peccatis à DEO infligendas.

225. Alio modo cum P. Haunoldo l. 3. ad textum S. Pauli ad Hebr. 11. v. 1. responderi posset, quali etiam ipse Angelicus Doctor responderet, qui cum in q. 14. de Veritate a. 8. tradidisset, DEVM, non tantum esse objectum formale, sed etiam materiale Fidei Divinæ, & contra hoc sibi objecisset. DEO etiam alias veritates credendas esse, in responsione ad 1. dixit: [Quamvis Divino Testimonio sit de Omnibus credendum: tamen Divinum Testimonium, sicut & cognitio, primò & principaliter est de seipso, & consequenter de aliis. Vnde Fides est principaliter de DEO, consequenter de aliis. Sic ergo responderi potest S. Paulum locutione se de objecto principali, prout non apparenti, & prout ex Veritatibus non apparentibus cognoscitur.

226. Aliam valdè expeditam responsionem suggerit, Albertus M. l. c. ad 1. Quod Fides sit argumentum non apparentium per se dem: Vnde inquit: *Hoc modo, quo Fides est de articulo illo, non potest esse scientia vel ratio de eodem.* Propterea, si aliquis ita esset constitutus, ut objecto revelato nollet præbere assensum, sed simul cum revelatione rationi naturali subnixum, talis assertus non esset vera Fides, & de hac S. Gregorius hom. 26. in Evangelia dicit: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præcedit experimentum.* Si autem Fidei solummodo in conjuncta Scientia, hæc non omnino tollit, sed ordinariè minuit meritum; hinc M. Albertus l. c. ad 1. super Verba Glossæ in c. 14. Joan. *Eat Dominus ne videatur, lateat, ut credatur* respondit: [Vult dicere ibi Glossa, quod assensus Apostolorum magis est meritorius, à latet quoad Visum corporalem; & hoc verum est, quia tantò Fides habet majus meritum, quantò ratio præbet ei minus experimentum.]



CONTROVERSIA LIII.

EVIDENTIA IN ATTESTANTE.

*An hac possit fundare Actum
Fidei, similem No-
stra.*

227. **I**n eo sensu, in quo P. Haunoldus locutus est, S. Thomas omnino docuit, *Evidentiam in attestante cum Fide impossibilem esse*; idque P. Haunoldus lib. 5. n. 284. rectè collegit ex 2. 2. q. 1. a. 4. & q. 4. a. 1. Licet enim ibid. S. D. directè & expressè tantum loquatur de impossibilitate fidei cum actu, faciente objectum apparere in propria sua entitate, & ideo loco ult. cit. ad 5. dicat: *Argumentum quod sumitur ex Autoritate Divina, non facit rem in se esse apparentem*; Si tamen præter evidentiam Primæ Veritatis, etiam locutio DEI sit evidens, adeoque sit totum motivum formale Fidei, ut quo, & ut quod assensum evincens, evidenter cognoscatur, jam destruit in objecto credito obscuritatem, non quidem eam, Vi cuius sublatæ objectum in se appareat, quod solummodo probat exemplum Petri testificantis Romam existere, nec tamen facientis videri Romam, ut Adversarius argumentatur, sed eam, quæ requiritur ad actum Fidei nostratis. Vnde quando Adversarius hoc ipsum permittit Patri Haunoldo, dicens: [Nec iste Recentior n. 285. plus probavit, quam id ad summum, quod ab ipso habitu Fidei non possit elici actus metaphysicè evidens circa revelationem DEI.] Jam permittit totum, quod P. Haunoldus volebat probare ex S. Thoma. Hæc enim erat ipsius Conclusio probanda: *Probabilis est, quod NB. à nostro habitu Fidei non possit elici actus metaphysicè evidens circa revelationem DEI.*

228. Sed, inquit ulterius Adversarius, etsi hoc detur; non est cur negetur, evidentiam in Attestante cum Fide possibilem esse: quia Magister Angelicus ait hic. q. 5. a. 2. [Si aliquis Propheta prænuñtiaret in Sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet Signum, mortuum suscitando, ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifestè, hoc dici à DEO, qui non mentitur: Licet illud futurum, quod prædicitur, in se evidens non esset; unde per hoc ratio Fidei non tolleretur.] Responderet, S. Doctorem non dicere, quod ratio Fidei, prout à nostro habitu Fidei est producibilis, non tolleretur, sed adducere hoc exemplum ad probandum, quod in demonibus sit Fides, quæ est Fides alterius rationis, prout S. D. ibid. expressè dicit; [Quan-

quam in demonibus NB. ea Fides non sit, quæ ex imperio Voluntatis in bonum tendentis, intellectus ad assentiendum movetur; est tamen in illis coacta quadam Fides, quæ ex naturali sua perspicacitate, & signorum evidentia doctrinam Ecclesiæ à DEO profectam esse, credere coguntur.] Vnde rursus Adversarius postquam suum Testimonium S. Thomæ retulisset, immeritò subjungit: [Ad quam difficultatem fugiendam, libenter Recentior iste Fidem negasset Angelis, contra S. Thomam hic. q. 5. a. 1.] Nam non libenter negasset Fidem damnatis Angelis Recentior iste: sed solum dixit: S. Thomam non tribuere illis Fidem, nixam metaphysicè evidentibus signis, multò minùs productam à nostro habitu supernaturali: quod utique verissimum est. Ideo idem S. D. ob physicam illam evidentiam Signorum, seu attestationis, Fidem demonum esse prorsus diversæ rationis à Fide nostrate, clarissimè iterum testatur, q. 14. de veritate a. 9. ad 4. ubi ait: [Dicendum, quod demones non voluntate assentiunt his, quæ credere dicuntur: sed coacti evidentia signorum, ex quibus convincitur verum esse, quod fideles credunt; quamvis illa signa non faciant apparere id, quod creditur, ut per hoc possint dici Visionem eorum, quæ creduntur, habere. Vnde & credere NB. æquivocè dicitur de hominibus fidelibus, & demonibus: nec est in eis fides ex aliquo lumine gratiæ infuso, sicut est in Fidelibus.]

229. Cujus verò Rationis sit Fides fidelium, & in quales actus Fidei habitus influat, iteratò clarissimè expressit Angelicus Magister, adducto etià Testimonio S. Augustini tract. 26. in Joannem; super illud, *nemo potest venire*. Sic itaque loquitur i. p. q. 111. a. 1. ad 1. [Dicendum, quod ad Fidem duo concurrunt; primò quidem habitus intellectus, quo disponitur ad obediendum Voluntati, tendenti in Divinam Veritatem. Intellectus enim assentitur Veritati Fidei, non quasi convictus ratione, sed quasi imperatus à Voluntate. Nullus enim credit, nisi volens: ut Augustinus dicit.] Verba autem S. Augustini idem Doctor Aquinas q. 14. de Verit. a. 1. in C. hæc refert. *Cetera potest homo nolens, credere non nisi volens.* Ex quibus Verbis deducitur hoc evidens argumentum: Noster habitus Fidei non potest concurrere ad actum fidei, qui non indiget determinatione & imperio Voluntatis, pro quo nim. eliciendo non ita proponitur intellectui Veritas revelata, ut debeat determinari assensus ab ipsa Voluntate: sed si Veritas revelata sit evidenter apprensus in se & evidentia sui, si evidentia attestantis, assensus non debet determinari à Voluntate, ut S. Thomas proximè de demonum assensu dixit: ergo noster habitus Fidei non potest concurrere ad assensum Veritatis revelatæ

per evidentiam attestantis : & consequenter ipse assensus neque est Fides ejusdem rationis cum nostra, per quam homo non potest credere nisi volens.

230. Confirmari potest hæc Conclusio argumento ad Hominem, non quòd ulteriori probatione indigeat, sed ut Adversarius inconsequentiam suæ doctrinæ advertat. Actus Fidei magis diversificatur à revelatione evidente, quàm à privata ex parte materiæ : evidentia enim inducit diversitatem formalem motivi, ut quo, quòd autem materia sit privata, importat tantum diversitatem materiale, ut Controv. 51. ostendimus : atqui actus Fidei procedens ex revelatione privata ex parte materiæ, secundum Adversarium est diversus à nostra fide, neque producit à nostro habitu Fidei : ergo à fortiori idem dicendum est de fide, procedente ex revelatione evidente.

CONTROVERSIA LIV.

CLEMENS X.

*An sit Fide Divina credibile,
eum ritè fuisse Baptizatum.*

231. Confundit Adversarius hæc duo : quòd sit Fide Divina credibile, Clementem X. (dicamus nunc Innocentium XI.) esse Verum Pontificem, & proinde indirectè, & implicitè, ac consecutivè habere nos fundamentum sufficiens credendi esse Baptizatum, quia Baptismus est iure Divino requisitus ad Pontificatum. Et : quòd Fides innitatur dictæ conditioni, ut influenti : primum P. Haunoldus lib. 3. n. 162. non Gratis dixit, ut Adversarius putat ; secundum P. Haunoldus nec dixit, nec supposuit : non enim Baptismus est conditio complens revelationem, cui Fides innititur, sed est conditio complens Valorem Pontificatus legitimi : unde licet verum sit, quòd idem P. Haunoldus lib. 3. n. 302. asseruit ; Non, quoties ex aliquo motivo assentimur alicui concreto, assentimur ex illo motivo singulis partibus illius concreti, seorsim sumptis ; alioquin qui crederet ex Testimonio Medici se esse ægrotum, crederet ex eodem Testimonio se esse hominem &c. Itaque credere aliquod totum ex aliquo motivo, est tantum credere ex illo motivo ultimam formalitatem constitutivam illius totius, quando tamen aliunde non repugnat, aliquam partem constitutivam alicujus totius, Fide Divina credibilis, simul aut seorsim credi à tali intellectu, prout non repugnat credi istum Pontificem esse verè baptizatum, & tamen

propter experimentalē metaphysicā certitudinē evidentiam, Medici assertionē inconfutabilem ; supponitur repugnare, ægrotum credere Testimonio humano, se esse hominem, in tali, inquam, casu nec gratis, nec per doctrinā inconsequentiam P. Haunoldus rectè dixit, esse dicto modo per Fidem Divinam credibile, Hodiernum Summum Pontificem valide fuisse baptizatum : quia per hoc citatus Autor plus non asseveravit, quàm quòd revelatio legitimi Pontificatus se etiam extendat ad Baptismum legitimum, sine quo non potest verificari revelatio Pontificatus.

232. Hoc autem non gratis dici, testatur ipse S. Thomas, qui 2. 2. q. 11. a. 2. in C. hæc habet expressissima Verba. Ad Fidem pertinere dupliciter : Uno modo directè & principaliter : sicut articuli Fidei : Alio modo indirectè & secundariò ; N.B. sicut ea, ex quibus sequitur corruptio alicujus articuli (quo modo ex sublato valore Baptismi sequitur corruptio Valoris Pontificatus, qui etiam secundum Adversarium est Fide Divina credibilis, & præceptus, ut credatur, id quod colligit ex S. Thoma opusc. 19. c. 4.) Et circa utraque potest esse hæresis eo modo, N.B. quo & Fides, Et 1. p. q. 32. a. 4. inquit. Postquam manifestum est, & præcipue si sit per Ecclesiam determinatum, quòd ex hoc sequitur aliquid contrarium Fidei, (est autem ab Ecclesia determinatum, quòd ex defectu Baptismi sequatur invaliditas Pontificatus) in hoc error non esset absque hæresi.

CONTROVERSIA LV.

FIDEI NECESSITAS.

*Quomodo Fides sit Principium
Salutis, & qualis explicita esset
nimis onerosa.*

233. IN duobus P. Haunoldus reprehendit Adversarius : primò quòd lib. 3. n. 386. Responsum Ripaldæ, dicentis, S. Paulum asserentem sine Fide impossibile esse placere DEO, posse intelligi, de Fide in Revelatōe, melius à priori rejecisset ex eo, quòd cum Fides sit primum salutis fundamentum, nec contineatur virtualiter in cognitione naturali, nihil habeatur prorsus, in quo illius vorum & desiderium possit fundari. Verum hæc rejectio ipsa rejici meretur ; cum enim omnis actus Fidei præsupponat imperium voluntatis, ut Contr. 53. ex S. Thoma & S. Augustino ostensum est, etiam primum actus Fidei præsupponit imperium voluntatis, in illa ergo cognitione, in qua fundatur im-

imperium fidei, posset etiam fundari Votum Fidei. Quando itaque Fides dicitur primum Salutis Fundamentum, non est sensus, quod sit prima cognitio supernaturalis, ad illam enim præsupponitur dictamen prudentiæ evidens credibilitatis, proponens honestatem & obligationem Fidei, & dirigens piam affectionem seu imperium Fidei; sed sensus est, quod sit proxima & præcipua dispositio ad consequendam justificationem, ut indicatur in Trid. sess. 6. c. 6. his Verbis.

[Disponuntur autem ad ipsam Justitiam, dum excitati Divinâ gratiâ, (Ecce cognitionem supernaturalem, quæ tanquam gratia actualis, & auxilians, excitat, & præsupponitur ad fidem) & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, (ecce piam affectionem, seu imperium Voluntatis præsuppositum ad fidem) credentes vera esse, quæ Divinitus revelata, & promissa sunt : atque illud in primis, à DEO justificari impium per gratiam ejus, per Redemptionem, quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à Divinæ Justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam DEI miserationem se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis Justitiæ fontem diligere incipiunt : ac propterea moventur adversus peccata &c.] Ecce structuram justificationis, cujus actus cum necesse sit à fide dirigi, ipsa fundamentum Salutis dicitur.

234. Alterum est, quod Adversarius reprehendit. [Cum (inquit) Haunoldus n. 389. fateatur, Gentilem aliquandiu servantem legem naturæ per cognitiones naturales, à Deo etiam extraordinario modo, si opus fuerit, adductum iri ad fidem; cur ipsi n. 407. dura videatur sententia Præceptoris Angelici, dicentis, actualem fidem explicitam Christi, post adventum ejus esse in Re necessariam? (Contr. § 8. ostendam, S. Thomam tantum loqui de necessitate præcepti, quam neque P. Haunoldus negat, aut duram asserit : nunc tamen ad Adversarij argumentum respondebo) quia nimirum ex S. D. q. 14. de Veritate a. 11. ad 1. ad Divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad Salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur : &c.] Respondetur duritiam non à S. Thoma, sed ab Adversario asserat necessitatis eliciendi explicitam fidem in Christum, & in omnes octo articulos, quos Adversarius thesi § 8. ex S. D. q. 1. a. 8. & q. 2. a. 8. enumerat, non in hoc consistere, quasi ex parte DEI restaret aliquid specialioris difficultatis, in exercenda providentiâ, quâ hominem per auxilium gratiæ facientem, quod in se est, extraordinario modo adduceret non solum ad fidem DEI Remuneratoris, sed etiam ad explicitam Christi, & omnium reliquorum enumerationem;

Verum consistere in eo, quod ex parte hominis dura subeunda esset necessitas, simplicioribus intolerabilis, si, cum accedentem ad DEVM pro recuperandâ per penitentiam justificationis gratiâ, semper necesse sit credere, quæ necessitate Medij credenda sunt, tantum Catalogum articulorum explicitè credere deberent; & sic duritiam P. Haunoldus in eo fundavit, quod *Simplices sæpe non consequerentur gratiam in Sacramento penitentiae ex defectu explicitæ fidei, necessitate Medij requisitæ.*

235. Ceterum etiam hoc durum est asserere, quod Deus tot articulos explicitam fidem necessitate Medij necessariam esse voluerit, quot ordinariè non nisi extraordinario modo, & Providentiâ DEI extraordinariâ, ab accedentibus ad DEVM, præsertim simplicioribus, in mentem revocari, & credi explicitè possent. Unde non est Bona consequentia ista : DEVS in casu subinde rarissimo (qualem S. Thomas loco ab Adversario relato. q. 14. de Verit. a. 11. ad 1. adducit, quando scilicet, quis inter Gentiles in sylvis enutritus servaret totam legem naturalem, faciendo quod in se est,) per suam providentiam modo extraordinario provideret de medijs necessariis ad fidem explicitam aliquorum articulorum, nempe quia est, & inquirentibus se remunerator sit, Hebr. 11. Ergo absque specialiori difficultate & duritie imponitur necessitas explicitè credendi tot articulos, quot sæpe à Simplicioribus, aut infirmioribus, non possunt explicitè credi sine Providentiâ DEI, extraordinario modo succurrente. An enim non eodem modo contra Angelicum Magistrum per suppositionem hujusmodi extraordinariæ providentiæ Divinæ posset inferri. Quod sit de necessitate Salutis explicitè omnia credere, eodem enim modo omnia ad fidem pertinent : ergo quâ ratione oportet unum explicitè credere, eadem ratione oportet & omnia. Nam pari ratione per extraordinariam DEI providentiam, ipsi haud difficilem, eludere Adversarius posset, hanc S. Doctoris ad relata Verba redditam responsionem. [Dicendum, quod non est eadem ratio de omnibus, quæ ad fidem pertinent. Quædam enim sunt aliis obscuriora, & quædam aliis notiora ad hoc, quod homo dirigatur in finem, & ideo quosdam articulos oportet præ aliis credere.] Itaque aliud est, Deum providere extraordinario modo de necessariis ad Salutem facienti, quod est in se; & aliud, DEVM statuere multa necessaria ad Salutem, de quibus extraordinario modo provideat, facienti quod est in se. Primum dixit S. Thomas l. c. pertinere ad providentiam DEI; non autem alterum.

CONTRVERSIA LVI. CONTRVERSIA LVII.

PIA AFFECTIO.

An hac sit Necessaria in Præsentia Actus Scientifici.

236. **Q**Uærit Adversarius; quomodo Haudoldus lib. 2. n. 293. asserens, actum Fidei Divinæ non repugnare cum evidentia physica, consequenter defendet, actum Fidei pendere à pia Voluntatis affectione, prout lib. 3. n. 377. ex communi Theologorum Sententia supposuit? Pia enim affectio Voluntatis propterea ad actum internum Fidei requiritur, quia intellectus non sufficienter ad credendum ab objecto Fidei, sibi proposito, determinatur; cum autem ex natura sua determinatus sit ad assentiendum Veritati physice evidenti, quando non habet evidentiam illi contrariam, vel aliquod argumentum, valide ducentis in oppositum, piâ motione Voluntatis applicantis intellectum ad credendum, non est opus. Respondetur, Adversarium id solum ostendere, quod, ut intellectus simpliciter assentiatur objecto physice evidenti, nempe per actum scientificum, non habeat opus piâ affectione ad determinandum illum assensum scientificum, & hoc optime confirmat Testimonio S. Thomæ. 2.2. q. 1. a. 4. in C. Verum, ut insuper assentiatur objecto evidenti propter Testimonium DEI inevidens, & ut non solum dicat, objectum ita se habere, sed ita se habere, quia DEVS inevidenter loquens id dicit, ad hunc, inquam, assensum intellectus indiget determinatione piæ Voluntatis: sicut enim posset intellectus dicere: Judico objectum ita se habere, quia id video, sed non quia credo Deum id revelare, sic potest etiam oppositum dicere, judico objectum ita se habere, quia id video, & multo magis ac firmius id judico, quia Prima & infallibilis Veritas revelavit: ut ergo Intellectus talem assensum fidei conjungat assensui scientifico, opus habet motione voluntatis; & non tantum ideo hæc ad actum internum fidei requiritur, quia intellectus ab objecto fidei, sibi proposito, non sufficienter est determinatus ad ullum assensum, sed quia non est sufficienter determinatus ad assensum fidei, propter inevidentiam non ipsius objecti materialis, sed propositionis Divinæ, tanquam rationis formalis, ut quo actus fidei.

FIDES DE EXISTENTIA DEI.

Quid sit, & quinam teneantur credere, DEVM esse.

237. **A**D conciliandos ab Adversario relatos textus S. Thomæ, 1. p. q. 2. a. 2. ad 1. dicentis. [Quod DEVM esse, & alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de DEO, non sunt articuli Fidei, sed præambula ad articulos.] & 2.2. q. 1. a. 7. in C. asserentis. [Omnes articuli implicitè continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet, ut credatur Deus esse, & providentiam habere circa hominum Salutem, secundum illud ad Hebræos 11. accedentem ad DEVM oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se Remunerator sit.] Non utendum est ab Adversario insinuatæ distinctione, atque dicente. [Quod omnes accedentes ad DEVM debeant credere, quia est Autor gratiæ, ad quem per justificationem acceditur: non verò, quia est Autor naturæ, nisi quis demonstrationem non capiat.] Particula enim *est* denotat existentiam DEI, actuali pro omni tempore, abstrahendo ab aliis determinatis Attributis Divinis, quæ propterea implicitè credibilia dicuntur in DEO, ut existentia, contineri: & hanc notionem illius Verbis S. D. clarè indicavit. lect. 2. in cap. 11. ad Hebræos scribens. [In motu, quo aliquis accedit ad DEVM, terminus motus est ipse Deus. Vnde dicit. Oportet credere accedentem, quia est. Quod dicit propter ejus æternitatem, Exod. 3. Qui est, misit me. Secundo, quod sciat, quod DEVS habeat providentiam de rebus. Aliter enim nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso. Vnde dicit. Et inquirentibus se remunerator sit.] Ecce S. D. particulam *Est*, exponens totum textum S. Pauli, non restringit, neque ad Autorem gratiæ, sed absolute eam accipit, pro significanda actuali existentia, secundum quam à Doctis evidenter cognosci, & demonstrari potest. Et nullibi S. D. indicavit, quod idem Vocabulum *est* debeat æquivocè vel diversimode accipi, aliūque sensum respectu capientium demonstrationem existentie Divinæ, & aliū respectu non capientium pariat, & quod isti satisfaciunt, si credant DEVM ut Autorem Naturæ, illi autem non satisfaciunt, substituendo actui Fidei, actum Scientiæ, nisi addant specialem Fidem in Autorem gratiæ, vel quod

sine hac postrema neutri satisfaciant, etiam si credant DEVM esse.

238. Deinde particula *Est* non magis determinatè supponit pro uno prædicato Divino, excedente naturalem cognitionem, quam pro altero, adeoque non magis pro Autore Gratiae, quam quod sit Fœcundus, Trinus, Communicabilis per unionem &c. ergo pro neutro debet magis determinatè accipi, quandoquidem nec S. Paulus, qui, utpote promulgans necessitatem Fidei, id debuisset in re tanti momenti declarare, magis determinatè accepit; & ita etiam S. Thomas. q. 14. de Verit. a. 9. ad 5. indefinitè loquitur: *Dicendum, quod de DEO non est Fides quantum ad id, quod naturaliter de DEO est cognitum: sed quantum ad id, quod naturalem excedit cognitionem.* Certè si est necessaria Fides DEI ut Autoris Gratiae, ea potius exigitur per sequentia Verba, quod inquirentibus se Remunerator sit, retribuens gratiam, & gloriam meritis proportionatam, quam per particulam *Est*.

239. Ideo textus S. Thomæ, suprà allos, melius quam Advers. inter se conciliavit P. Haunoldus lib. 3. n. 301. per hoc, quod, licet *DEVM esse* non sit articulus Fidei comparatione doctorum, in quibus defectus necessariae notitiae Divinae non est suppleendus per fidem, juxta priorem textum, sit tamen juxta posteriorem, respectu indoctorum, longè plurium numero; quo modo ipse S. Thomas se explicavit. 2. 2. q. 1. a. 5. ad 3. [Dicendum, quod ea, quæ demonstrativè probari possunt, inter credenda numerantur; non quia de ipsis simpliciter sit fides apud omnes, sed quia præexiguntur ad ea, quæ sunt fidei, & oportet ea saltem per fidem præsupponi ab his, qui eorum demonstrationem non habent.]

CONTROVERSIA LVIII.

ARTICVLI CREDENDI.

Quinam hi sint.

240. **M**agnopere sibi in hac Controversia, seu Thesi sua 58. de Victoria applausit Adversarius, quam ad Verbum referam, & sic habet. [Expressè contra D. Thomam Haunoldus lib. 3. n. 407. dixit, fidem explicitam Christi nec ante, nec post Adventum esse in Re necessariam. Nam S. D. hic q. 2. a. 7. ait: *Post tempus gratia revelata, tam Majores, quam Minores tenentur habere fidem explicitam de Mysteriis Christi, quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solennizantur, & publicè proponuntur, sicut sunt articuli Incarnationis.* quos enumerans q. 1. a. 8. inquit. *Primus est de Incarnatione seu Conceptione Christi. Secundus de Nativitate ejus ex Virgine.*



Tertius de Passione ejus, & Morte, & Sepultura. Quartus de Descensu ad inferos. Quintus de Resurrectione. Sextus de Ascensione. Septimus de Adventu ad Iudicium. Et rursum hic q. 2. a. 8. scribit: *Quod Mysterium Incarnationis Christi explicitè credi non potest sine fide Trinitatis: & ideo subiungit, etiam post tempus gratia divulgata tenentur omnes ad explicitè credendum Mysterium Trinitatis.* Id ipsum docuerat in 3. dist. 25. q. 2. a. 2. q. 2. Igitur hac Vice evidenter Haunoldus ab Angelico Magistro *Stillantem rorem non collegit*; (alludit Adversarius ad Inscriptionem Emblematis in fronte Voluminis præfixi, quam in thesibus suis Autoritate S. Thomæ perpetuò oppugnat, & ego eandem, veluti tutissimo Clypeo, irrita tela excipio, & in Adversarium retorqueo.) Nec perpendit Mar. ult. fidem Evangelicam, quæ sine dubio fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis includit, ad Salutem ita exigi, ut non credituro, condemnationem comminetur Christus. Ita Adversarius. Qui distinguere debuisset inter necessitatem Medij, & necessitatem Præcepti, & totam sustulisset sibi imaginationem Victoria.

241. Itaque S. Thomas explicitam fidem prædictorum articulorum non dicit esse necessariam, *Necessitate Medij*, quam solam negavit P. Haunoldus l. c. sed dixit esse necessariam *necessitate Præcepti*; ideo studiosè usurpavit Verbum *tenentur*, quod Obligationem & Præceptum denotat: e contra circa illos duos articulos, quos S. Paulus ad Hebr. 11. v. 6. *Necessitate Medij* requirit, usus est ejusdem S. Apostoli Verbo *Oportet*, quod indifferens est ad utramque necessitatem significandam, & hic pro necessitate Medij adhibetur. Audiatur itaque Adversarius S. Thom. q. 14. de Veritate a. 11. in C. ita loquentem. *Vnde oportet, quod discipulus aliquid actualiter considerandum accipiat, & similiter NB. Oportet, quod fidelis quilibet aliquid explicitè credat: Et hæc NB. sunt Duo, quæ Apostolus dicit Hebr. 11. Accedentem ad DEVM oportet credere, quia est, &c.* Quia verò quidquid est necessarium necessitate Medij, est etiam necessarium necessitate Præcepti, non autem vicissim, quidquid est necessarium necessitate Præcepti, est etiam necessarium necessitate Medij: mox infert S. Doctor: *Vnde quilibet tenetur explicitè credere, & omni tempore, DEVM esse, & habere providentiam de rebus humanis.*

242. Hac necessitate Medij suppositâ, ibidem ulterius progreditur S. Doctor ad diversam capacitatem, & officia personarum, & inquit, ad quid explicitè credendum ipsæ teneantur, & quia hæc diversitas non imponit novam *Necessitatem Medij*, quæ enim sunt necessaria necessitate medij, omnibus æqualiter sunt necessaria, hinc investigat, ad quid explicitè credendum obligentur necessitate præcepti, cùmque diversam obligationem statuisset pro diversitate tem-

Q

poris

poris antecedentis vel consequentis Statum peccati, & Statum gratiæ, & pro diversitate personarum, quæ vel capaciores, vel ad alios erudientes præficiantur, & cum ibid. semper usurpâset Verbum *Tenantur*, idem sibi retinuit, quando tandem obligationem fidei explicitæ in Statu gratiæ his verbis declaravit. [Tempore verò gratiæ omnes Majores & Minores de Trinitate, & de Redemptore tenantur explicitam fidem habere: non tamen omnia credibilia circa Trinitatem, vel Redemptorem Minores explicitè tenantur credere, sed soli Majores, (utique nec tri ex necessitate Medij) Minores autem tenantur explicitè credere generales articulos, ut Deum esse Trium & Unum, Filium DEI esse incarnatum, & mortuum, & resurrexisse, & alia hujusmodi, de quibus Ecclesia festa colit.]

243. Huic autem Obligationi, inducenti necessitatem Præcepti, consentit P. Haunoldus. Adeoque hac Vice (infero affirmativam pro negativâ propositione Adversarii) evidenter ab Angelico Magistro Scillantem rorem collegit, & perpendit Marci cap. ult. quando n. 409. querens, quorum articulorum fides explicita sit sub præcepto comminatorio in *Lege Nova*. Respondet. *Esse fidem articulorum comprehensorum in Symbolo Apostolorum; hanc enim exigunt Concilium Agathense, Bracharense, Cabionense, relata in Can. Non liceat. § 8. de consecr. dist. 4. & seqq.* In confirmationem eorum, quæ hic dicta sunt, possunt videri etiam ea, quæ de eodem argumento dixi Contr. 55.

CONTROVERSIA LIX.

REVELATIO DAMNATIONIS.

An reddat licitam Desperationem.

244. **N**on plus debito (ut Adversarius malè arguit) progressus est P. Haun. lib. 3. n. § 16. dicens: quod homo, cui revelata esset (revelatione absolutâ, & non merè comminatoriâ) sua damnatio, memor hujus revelationis, licet desperaret, desperatione positivâ. Qui enim faceret id, ad quod à Deo cogeretur, in quantum hoc faceret, (nisi scilicet ratione finis, vel admixti alterius affectus peccaminosi ad malum deflecteret) non peccaret. Subsumo. Atqui talis homo à DEO cogeretur desperare, teste S. Thoma. q. 23. de Verit. a. 8. ad 2. ubi ait. [Dicendum, quod quamvis de potentia absoluta Deus possit revelare suam damnationem alicui, non tamen

hoc potest fieri de potentia ordinata: quia Naturalis revelatio cogeret eum desperare.] Ergo homo non peccaret. Confirmatur ex Angelico Doctore, qui 2. 2. q. 18. a. 3. in Corp. de damnatis ita loquitur. [Ad conditionem miseriarum damnatorum pertinet, ut ipsi sciant, quod nullo modo possunt damnationem evadere, & ad beatitudinem pervenire. Unde dicit Job. 31. Non credit, quod reverti possit de tenebris ad lucem. Unde patet, quod non possunt apprehendere beatitudinem, ut bonum possibile.] Rursum subsumo. Atqui homo, cui absolute revelata esset sua damnatio, eodem modo se haberet, ut scilicet non posset apprehendere beatitudinem, ut possibile: ergo propter impossibilitatem spei licet desperaret. Unde non est verum suppositum Adversarii, quod desperatio sit essentialiter mala, quando etiam procedit ex fide revelationis Divinæ, vel ex evidenti attestante de damnatione absolute futura.

245. Neque tamen hinc rectè inferitur ab Adversario, quod diaboli non amplius peccarent, cum tamen *Superbia eorum*, non quidem adhuc demeritoria, juxta ps. 73. allegatum à S. Thoma. 1. p. q. 64. a. 2. ascendat semper. Nam, ut ex relatis Verbis patet, diabolorum desperatio est peccaminosa, non ratione sui, sed ratione superbiæ admixtæ; quia etiam postquam amiserunt suam excellentiam, semper adhuc ratiificant suam superbiâ de illa excellentiâ: Sicut si aliquis credat, inquit S. Thomas l. c. ad 3. se posse facere homicidium; & velit facere: & peccata adimatur ei potestas; nihilominus voluntas homicidij in eo manere potest, ut velit fecisse, vel velle facere, si possit. Ex eo verò textu, quem Adversarius adducit ad probandam maliciam, vel prohibitionem desperationis, quantumvis post revelationem inevitabilis, dum S. Thomas. q. 16. de Malo. a. 5. ad 11. ait: [Sicut ebrius tenetur non peccare, non quidem considerato præfenti Statu: sed considerata ebrietatis voluntariâ causâ, secundum quam imputatur ei aliquid ad culpam.] Ex hoc, inquam, textu plus non probatur, quàm quod desperatio sit prohibita, & peccaminosa in sua causâ; non autem quod in se, & essentialiter, atque intrinsecè sit peccaminosa, quod solum negavit P. Haunoldus. Unde si revelatio absoluta facta esset à Deo ex prævisione peccati absolute futuri, ante ejus existentiam, desperatio neque denominativè & extrinsecè esset illicita homini, ut patet ex paulo antè relatis Verbis Angelici Doctores, ex quibus probat, omissionem conversionis non aliter esse peccaminosam, quando est reddita impossibilis, quàm quo modo est peccaminosa actio in ebrietate posita, scilicet extrinsecè & denominativè, denominatione proveniente à libera volitione se inebriandi. Unde immediate subiungit Angelicus Doctor. Ita etiam po-

est intelligi, quod diabolus teneat converti ad DEVM: quamvis hoc ei sit impossibile secundum præsentem statum; quia in hunc statum ex voluntaria causa devenit.

CONTROVERSIA LX.

OBLIGATIO CHARITATIS.

Qualem asserat S. Thomas.

246. Quia ex materia de Charitate, cujus unam Thesin hic apponere voluit, Adversarius nihil invenit apud P. Haunoldum, quod doctrinam S. Thomae repugnaret; ideo his Verbis hostem sibi finxit. [Non meminit Haunoldus doctrinam D. Thomae. 1. 2. q. 89. a. 6. docentis. Primum quod homini, cum usum rationis habere incipit, cogitandum occurrit, esse deliberare de seipso; & si quidem seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem Originalis, si vero non ordinet seipsum ad debitum finem, secundum quod in illa aetate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens, quod in se est. Eo ipso nimirum, quod hanc quaestionem examine dissimulante omiserit, sententia Praeceptoris Angelici non orisset.] Ita Adv. Qualis hæc consequentia? Ergone quia Adversarius in suis thesibus, quibus præfixit titulum: *Ex universa Theologia: innumeras quaestiones examinare omisit, & ex 1. 2. a. q. 27. usque ad q. 45. per quas S. Thomas ex professo agit de Charitate, ne unam quidem quaestionem posuit, universæ non arriperunt Adversario?* An opus fuit ex alieno loco, nempe ex 1. 2. q. 89. a. 6. cujus titulus est: *Utrum peccatum veniale possit esse in aliquo cum solo Originali:* ad Tractatum de Charitate attrahere quaestionem, ne illa non arripuisse videatur homini leviter aliàs suspicaturus?

247. Colligit præterea Adversarius ex cit. Verbis: *non faciens, quod in se est.* S. Thomam per illa intelligere non alius naturales, ut intelligit P. Haunoldus lib. 3. n. 389. Sed supernaturales, quibus nimirum homo per gratiam consequatur remissionem peccati originalis. Verum P. Haunoldus l. c. locutus est de homine, apud Gentiles educato, nec habente Evangelij Prædicatorem, de quo faciente quod in se est, dixit, & DEO extraordinario modo, si opus fuerit, adductum in ad Fidem, ad quam dicto modo consequendam non possunt præsupponi actus supernaturales, cum illa sit Principium actuum supernaturalium, & ad ipsas præsupponatur, non autem isti ad ipsam. Unde etiam S. Thomas locutus est de actibus naturalibus, quando q. 14. de Verit. 2. 11. ad 1. de enutrito in Sylvis vel inter

bruta animalia dixit: *Si aliquis aliter nutritus ductum NB. naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei DEVS vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem Fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium act. 10.* Sed de hoc satis declarata est mens S. Thomae supra. Contr. 46.

CONTROVERSIA LXI.

IUSTITIA COMMUTATIVA.

Cum Implicantia Decreti Divini, ex Iustitia Commutativa DEVM homini obligantis, ostenditur superfluitas Decreti, decernentis objectum Scientiæ Mediæ, aliæq. contra hanc Scientiam Objectiones solvuntur.

248. EX ipso textu S. Thomae, ab Adversario allegato, ad comprobandam impossibilitatem obligationis, Deum ex Iustitia Commutativa Creaturae rationali obstringentis, manifestè colligitur; Angelicum Doctorem suppositum esse impossibilitatem decreti promissivi, præsuppositi ad aliud virtualiter subsequens decretum, executivum promissi, ex vi prioris decreti in debitum seu in obligationem Iustitiæ commutativæ, cadentis; ex cuius proinde impossibilitate etiam à P. Haunoldo lib. 4. n. 156. rectè supposita, ipse quoque non inaniter, ut Adversarius loquitur, tentavit probare, obligationem ex Iustitia commutativa, perfectissimo Dominio DEI præiudicare. Textus autem Angelici Doct. in 4. dist. 46. q. 1. a. 1. hic est. [Iustitia commutativa, per quam æqualitas constituitur inter DEUM dantem, & creaturam recipientem, Deo competere non potest secundum propriam acceptionem, quia beneficia DEI semper excedunt meritum creaturæ.] Subsumo. Atqui hæc ratio non esset sufficiens, & universalis, si aliunde, quam per dignitatem meritum, ex decreto liberali promissivo DEUS se obligare posset creaturae ad retribuendum pro meritis modo mercedis Præmiū æquale Juri, nō quidem ex sola dignitate meritum, sed ex promissione obligativa, quaesito. Ergo S. Doctor supposuit non esse possibile tale decretum, cujus impossibilitatem etiam supposuit P. Haunoldus, eo modo discurrens de Iustitia divina, executivā promissi seu debiti citra obligationem, quo modo S. D. l. c. a. 2. ad 3. ostendit, qualiter citra obligationem, aut restrictionem Voluntatis, DEUS cuius creaturae per unicum simplex decretum ex

justitia providentiali debitum reddat ad aequalitatem cum Ordine naturæ. Cum enim S. D. sibi objiceret. [Ubiunque est aliud Justitia, quam Voluntas, Justitia voluntatem Restrigit, & sic quodammodo ei resistit: sed nihil est, quod restringat Voluntatem DEI, ergo ipsa ejus Voluntas est ejus Justitia; ex hoc ergo aliquid est justum; quia est à DEO volitum.] Respondet. [Ad tertium dicendum, quod illud, quod in Voluntate includitur, voluntatem non restringit: ex hoc autem ipso, quod DEUS vult aliquam naturam facere, vult attribueri ei ea, quæ illi naturæ competunt: sicut cum homo vult finem, ex hoc ipso vult ea, quæ sunt ad finem; & NB. ideo Voluntas DEI neque justitia eius Restrigitur, neque justitiæ ejus resistere potest.]

In quo textu particula Causalis *Ideo* denotat S. Doctorem eodem modo argumentandi usum esse, quo P. Haunoldus; similiter discurrens: Illud, quod in Voluntate includitur, voluntatem non restringit, ex hoc autem ipso, quod DEUS vult alicui creaturæ rationali promissionem per signa externa facere, vult attribueri ei ea, quæ illi creaturæ promisit, sicut cum homo vult finem, ex hoc ipso vult ea, quæ sunt ad finem; & *Ideo* Voluntas DEI neque Justitia ejus Restrigitur. Estne hoc argumentum Inane?

249. Cæterum non advertit Adversarius, dum ad hunc locum, qui de *Justitia Commutativa* est inscriptus, impertinenter attraxit objectiones, quas in prima parte contra scientiam Mediam pro prædeterminatione physica referre obligatus est, se non probare illud decretum inductivum obligationis ex Justitia commutativa, quod P. Haunoldus negat, & quod si contra illum evinceretur, deberet præsupponere scientiam Mediam, sed probare, (irrito tamen conatu) aliquid aliud Decretum præsuppositum ad scientiam Mediam, eamque destruens, scil. decretum prædeterminans, & reddens per liberum arbitrium creatum inimpedibile ipsum statum conditionatum actus futuri: quod proinde decretum, cum non contradicat negationi alterius decreti, quo per discursum S. Thomæ sublatum, P. Haunoldus in ordine ad hominem, seu in ordine ad certos Adversarios probat impossibilitatem Justitiæ commutativæ, propriè dictæ in DEO; hinc etiam si Adversarius illud alterum decretum demonstrasset, nondum tamen detexisset contradictionem hujus loci, P. Haunoldo objectam.

250. Sic enim argumentatur Adversarius pro decreto determinante actum liberum conditionatè futurum, adeoque non tantum independente à Scientia media, sed eam etiam omnino tollente. [Illà Scientiā, quæ objectum supponit, videt DEVS, quid faceret Petrus, si in his circumstantiis collocaretur, consequenter videt etiam istius conditionatè futuri

consensus dependentiam essentialē, proindeque decretum aliquod, ex parte causæ primæ præsuppositum, quia quemadmodum futurum absolutum, dependet à decreto absoluto, sic & conditionatum (ne pro illo Statu ab influxu DEI absurdissimè absolvetur) sine præsupposito decreto conditionato, quomodocunque explicetur, non potest ex Statu puræ possibilitatis ad Statum futurationis conditionatæ translatum esse, videri.]

251. Respondeo, distinguendo istam sequelam: *Consequenter videt etiam ipse conditionatè futuri consensus dependentiam essentialē*, nempe videt conditionatè, extitutam actualem dependentiam, si consensus absolutè esset extitutus, & si Petrus actu in his circumstantiis poneretur, eò quod hæ circumstantiæ non possent actu dari, quin DEVS per decretum absolutè existens illas decerneret, & consensus dependentèr à Scientia media impedibiliter, sed tamen infallibiliter, prædesiniret, concedo ut sic sequelam: Videt jam actualem dependentiam, ex parte DEI absolutam, id est, absolutè existentem, sed ex parte objecti vel modi tendendi conditionatam, nego sequelam: licet enim consensus non videtur, ut absolutè extitutus, sed quod esset extitutus, si decerneretur ista circumstantiæ, sic non videtur, ut absolutè, & actu dependens, sed quod esset dependens, si decerneretur ista circumstantiæ: Vnde aliud est, actu dari aliquod decretum conditionatum, per quod conditionata Veritas dependeat à DEO, & aliud, actu verum esse, quod ab æterno datum fuisset aliquod decretum quoad modum tendendi absolutum, si conditio aliqua, nempe hæ circumstantiæ, sub quibus conditionatè videtur consensus, aliquando absolutè fuissent ponendæ: posterius membrum est Veritas necessaria, & videtur per tendentiam simplicis intelligentiæ, qua nimirum cognoscit, quod quicquid absolutè existit, debeat decernente, aut saltem permittente volente DEO existere. Prius membrum est falsum; cum enim conditionata Veritas sit de objecto non absolutè existente; ideo neque est de objecto absolutè & actu dependente, consequenter non est opus decreto conditionato ex parte objecti, & absoluto ex parte subjecti, id est, actu existente in DEO; hinc rursus aliud est, quod DEVS dependentèr ab aliquo decreto videat, consensus Petri extitutum, si collocaretur in his circumstantiis; & aliud: quod DEVS videat, consensus Petri extitutum dependentèr ab aliquo decreto, si collocaretur in his circumstantiis. Vnde in sua parenthesi Adversarius non tam superlativè, quàm falsò supponit consensus Petri in statu conditionato ab influxu DEI (intellige: absolutè existente) absurdissimè absolvi: quod namque absolutè non est, sed esset, in id Drus non influit, sed influet.

252. Ad

252. Ad probationem autem, & institutam ab Adversario paritatem inter Statum absolutum & Conditionatum, respondeo, esse aliquam paritatem, sed eam malè efformari ab Adversario: paritas enim debuisset sic institui: quemadmodum futurum absolutum dependet à decreto absoluto, sic & conditionatum, si conditio impleatur, dependeret à decreto absoluto, eò quòd ex statu conditionato & purè possibilitatis ad Statum futuritionis absolutæ nequeat transferri, & consequenter videri, sine decreto absoluto. Ratio paritatis sic instituendæ est evidens; quia in hoc æquiparantur Status absolutus & conditionatus, quòd, quidquid convenit Statui absoluto, id conveniat Statui conditionato sub conditione, id est, si in Statum absolutum transiret; v.g. si consensus Petri propter decretas & collatas has circumstantias de Statu conditionato in absolutum transivisset, etiam ipse per decretum absolutum dependeret actu à Deo. Confundit ergo Adversarius hæc duo: *Datur absolute & actu decretum conditionatum*; & daretur *Decretum absolutum impletà Conditione*.

253. Si urgeret Adversarius sic replicando. Tota veritas & notitia futurorum nititur transitu illorum à statu possibilium ad ordinem futurorum, qui transitus nec fieri, nec cognosci potest, nisi detur, vel cognoscatur causa extrinseca illius transitus, sed hæc non potest esse alia, quàm decretum Divinum, quod solum est cœvum notitiæ Divinæ, eumque potest determinare, ergo &c. Responderem juxta dicta, distinguendo Majorem. Tota Veritas & notitia absolute futurorum nititur transitu absoluto, & in sua causâ jam determinato, concedo Majorem: conditionatè futurorum neg. Ma. horum enim Veritas & notitia non dependet à transitu, qui saltem in sua causâ sit determinatus, sed solummodo qui esset determinandus, si certa conditio poneretur, quæ tamen ipsa non debet jam necessariò esse determinata; & ideo potest huiusmodi Veritas & notitia haberi sine existentia, & cognitione causæ extrinsecæ, determinantis futura conditionata, vel conditionem illorum.

254. Si rursus instaret Adversarius, dicendo: Omnis Veritas actualis debet esse actu dependens à DEO; Veritas objectiva actûs conditionatè futuri est Veritas actualis: ergo debet esse dependens à DEO. Atqui non potest esse dependens, nisi per decretum conditionatum; ergo tale decretum de facto datur ab Eterno. Facile ex dictis redderetur responsio. dist. Ma. Omnis veritas actualis, prout est de objecto, quoad possibilitatem vel quoad existentiam actuato, conced. Ma. prout est de objecto tantum sub conditione quoad existentiam actuando, & nondum supponente etiam ipsius conditionis

actuacionem, adeoque quatenus est de objecto, nec in se, nec in sua causâ actuato, sed præcisè habente Statum Logicum, seu Statum cognoscibilitatis respectu intellectûs Divini; nego Ma. Vel subdistinguo. Debet esse actu dependens à DEO, quoad ipsam cognoscibilitatem passivam, possibilitandam à Virtute cognoscendi activâ, conc. Ma. debet esse dependens à DEO quoad determinationem existentia Logica, seu conditionatè futuritionis; nego Ma. Veritas enim conditionata jam habet absolutam & actualem ac determinatam cognoscibilitatem respectu DEI, hoc ipso, quòd esset determinanda physice à libero arbitrio creato, & transiura in Statum absolutum physicum, si conditio à Deo decerneretur, si scilicet ponerentur hæc circumstantiæ, & auxilia.

255. Nunc paritatis, prout ab Adversario institutæ, disparem rationem sic ostendo, cur nempe ad conditionatè futuritionem actûs liberi nullum præsupponatur decretum Divinum, præsupponatur autem ad futuritionem absolutam actûs. Nam una veritas absoluta supponit aliam Veritatem absolutam, scilicet futuritio absoluta actûs supponit futuritionem absolutam causæ secundæ & auxilij, futuritio auxilij supponit decreti actualem existentiam, hoc ipso, quòd non possit absolute poni auxilium, quin DEVS illius existentiam decernat, nihil autem possit decernere, nisi per decretum ab æterno existens. Veritas autem seu futuritio actûs conditionata, non supponit existentiam conditionis unquam ponendæ, etiam si enim nunquam ponerentur circumstantiæ, tamen verum esset dicere: *Si ponerentur, Petrus poneret consensum*: hoc ipso autem quòd conditio abstrahat à sui existentia, etiam abstrahit, & non supponit existentiam decreti, sive absolute, sive conditionatè decernentis existentiam conditionis. Et hinc neque bonam paritatem ac comparisonem institueret, qui diceret: sicut secundum nos antecederet ad omne decretum, id est, independenter ab omni decreto datur Veritas objectiva alterutrius contradictorij de conditionatè futuris, sic etiam datur de absolute futuris.



R

CON-

CONTROVERSIA LXII.

SVICIDII CRIMEN.

*Quare Occisio sui ipsius sit
illicita.*

256. **E**tsi pluries contra doctrinam D. Thomæ impugnetur P. Haunoldus to. 1. de Just. Tract. 2. cap. 6. Controv. 2. Adversarius asserat, id tamen nec semel verum est. Tres ille antitheses enumerat. Prima est, quod S. Thomas 2. 2. q. 64. 2. 5. Suicidium (melius usus esset Adversarius phrasi non æquivocâ S. Doctoris sui ipsius Occisio) inter alia sic reprobet. *Quilibet homo est pars Communitatis; & ita id quod est, est communitatis. Unde in hoc, quod seipsum interfecit, injuriam Communitati facit, ut patet per Philosophum 5. Eth.* P. Haunoldus n. 602. rationem istam repudiet.

257. **R.** Quod P. Haunoldus illam non repudiet pro eo casu, pro quo eam S. D. ex Aristotele approbat; nam hic cit. lib. 5. Eth. seu Moral. Nicomach. cap. ult. Tantum loquitur de omnibus illis hominibus, qui in aliqua Civitate, seu Communitate degunt, dicens de tali interfectore sui ipsius: *Injuriam igitur facit. Sed cui? Civitati nimirum non sibi ipsi: quippe cum sponte patiatur: nemo vero sponte injuriâ afficitur. Unde etiam ipsum civitas multat: eique qui seipsum necavit, quasi civitatem injuriâ affecerit, ignominia quadam irrogatur.* V. g. si sepeliatur sepulturâ aînorum. Itaque P. Haunoldus requirit adhuc aliam rationem pro illo casu, quo quis nullius reipub. membrum esset, nec esse vellet, ut S. Paulus Eremita. Quod autem prædicta Ratio neq; à S. Thoma, neque ab Aristotele ad omnem casum extendatur, ipse Adversarius fateri debet, qui, ut proximè referam, contendit, à repub. condemnatum ad mortem, tanquam membrum noxium, quo ipsa se vult abdicare, peccatum, si ipse sententiam Reipub. exequeretur: atqui in hoc casu non militat Ratio assignata: quia Philosophus in textu allato expressè dixit: *Nemo vero sponte injuriâ afficitur: Ergo cum ipsa Reipub. nolit vivum retinere hominem sibi noxium, non afficitur injuriâ.*

258. Secunda Antithesis asseritur ab Adversario his Verbis. S. Thomas 1. c. ad 4. Samsonem non aliter excusat, quod se ipsum oppressit: *Nisi quod latenter Spiritus S. hoc jussisset.* P. Haunoldus n. 617. absque ejusmodi speciali *Iustitie Fontis* jussu justificat factum militis, *inscientis ignem pulveri tormentario cum manifesta mortis certitudine.*

259. **R.** Ab Adversario non refertur factum militis cum dispari illa circumstantia,

quam P. Haunoldus expressit, & ob quam factum Militis sine jussu Fontis iustitie potius justificatur, quam factum Samsonis, indigentis speciali jussu: Samson enim postquam est orbatus utroque lumine, in poenam Philistinis illorum damnorum, habuit adhuc spem, si non evadendi, vel perpetuâ captivitate redimendi mortem, quam spem proinde non licuisset sponteancâ & præmaturâ morte cum ruina totius officij diruere; factio Militis autem P. Haunoldus expressè addidit hanc circumstantiam: *Si non spes evadendi &c.* Unde propter diverfam circumstantiarum mutabilitatem dixit: *In istis casibus non possumus semper habere rationem à priori, sed contenti esse debemus iudicio communi à natura infuso: quo ipse factum militis justificat; cum naturale rationis lumen videatur dicere, licetum esse Militi, vitam suam pro bono communi ex officio deoventi, hostem oppugnare directè inferendo gravissimum damnum, etiam ex eadem actione præter intentionem & indirectè, ex Vi agentis necessarij, quale est ignis, sibi mediâtè & consecutivè eveniat mors, aliâmodò sibi ab hoste inferenda, cum hujus immortis & magno emolumento, & vicissim cum magno damno Reipub. cuius commune bonum Miles promovere tenetur, atque etiam per media illi indebita licitè potest, si ea non sint ita intrinsecè inhonestâ ac displicentia DEO, ut etiam ipse Deus ea sæpe inspirasse legatur, quando talis causa excusans, & honestans actionem, non recedebat.* Quod proinde Iudicium naturale multi approbant apud Dianam 6. p. tr. 7. Miles resol. 48. quibus addi potest M. Achatius de Volasco to. 2. Refol. Moral. Verbo *Homicidium* Resol. 37. n. 3. M. Joannes Martinez de Prado to. 1. Theol. Moral. c. 20. q. 2. §. 3. n. 30. citans Maderum, Marchantium, Serram. Ludovicum Lopez, 1. p. instruct. cap. 65. Card. Cajet. in cap. 16. Iudicium: quatenus uterque ipsum etiam Samsonem aliâ ratione excusari posse testatur, quam *Speciali Fontis Iustitie jussu.*

260. Tertia Antithesis. S. Thomas 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2. ait: *Nullus ita condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem &c.* Ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur. Sublimiter Adversarius. Igitur nec licitè id ageret, quia quilibet obligatur, Vitam suam conservare, quoniam licitè potest. P. Haunoldus n. 613. dicit: quod condemnatus ad mortem possit ipse *Palmas* pati infligere.

261. **R.** P. Haunoldus l. c. non negare assertionem S. Thomæ, sed subsumptum Adversarii, qui ex negativâ, non tenetur, per malam consequentiam inferre negativam, non licet; cuius vitium facile deprehendisset Adversarius, si Verba S. Doctoris immediatè subnexa non occultâisset; ideo ego illa ex latebris producam: eum enim S. D. dixisset: *Ideo non tenetur facere id*

publica potestate, à DEO in Iudicem translata. Ergo ex nullo fundamento à S. Thoma approbato illicitum est occidere seipsum, si, quod S. D. I. c. ad 3. expressè à prohibitione excipit, hoc fiat per Iudicium publicæ potestatis.

266. Igitur Adversarii fundamentum falsum, & S. Doctori contrarium est; quod ex eo etiam colligitur, quia S. D. Verbis suprà citatis, quibus negavit, quòd liceat habenti publicam potestatem seipsum occidere propter quodcunque peccatum, statim subjunxit: *Licet autem ei, se committere Iudicio aliorum. Adeoque non obligatur vitam suam conservare; quoties licet potest. v.g. subterfugiendo Iudicium aliorum, vel locum, unde ducatur ad mortem. Adde, quòd licet verum esset fundamentum Advers. tamen non esset verum absque distinctione, & exceptione, nisi scil. quis Vitam non conservet tanquam Executor justæ condemnationis, sub qua exceptione præceptum non occides etiam obligat ad conservationem Vitæ alienæ. Et ita cum P. Haunoldo sentiunt Victoria, Aragon. Cordubâ, apud Dianam. p. 5. tr. 4. Resol. 39.*

CONTROVERSIA LXIII.

AGGRESSORIS OCCISIO.

An ea possit directè intendi, & inferri neglectâ fugâ valde ignominiosâ.

267. **A**D primum quæsitum P. Haunoldus to. I. de Just. tr. 2. n. 631. respondit affirmativè, quòd scil. *injustè invasit, & nisi se defendat, occidendo, liceat invasoris occisionem directè intendere.* Cui Adversarii opponit textum S. Thomæ 2. 2. q. 64. a. 7. dicentis: *Illicitum est, quòd homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat.* Verùm his Verbis S. D. non negat, quòd liceat directè intendere Occisionem invasoris, ut quis se ipsum defendat, quando conservatio Vitæ est finis ultimus: tunc enim in rigore loquendo non dicitur intendere Occisionem alterius, sed conservationem Vitæ, sicut non dicimur propriè intendere mediâ, sed finem, v.g. non medicinam, aut sectionem, sed sanitatem. Pater hæc mens S. D. ex ratione assertionis, quàm, ut ex responsione ad 1. colligitur, ex S. Augustino desumpsit. Rationem autem S. Augustinus to. 2. epist. 154. ad Publicolam his verbis conscripsit. *Hinc autem dictum est, non resistamus malo, ne NB. nos Vindicta deleat, quæ alieno malo animum pascit.* Eandem mentem suam indicavit Angel. D. in respons. ad 5. ubi ad objectum testimonium S. Pauli Rom. 12. *Non vos defendentes Charissimi.* sic respondet: *Dicendum, quòd ibi prohibetur defensio, NB. quæ est cum livore Vn-*

*directæ: Adeoque quæ non solum vitæ conservationem, sed vindictam ultimatè intendit. Quia verò non est possibile, ut quis immediatè & voluntariè ponat actionem per se ordinatam ad alienæ vitæ interitum, eamque ex animi destinatione ad istum dirigat, eò quòd ille sit medium unice necessarium, neque solâ aggressoris veneratione non lethali vita propria servari possit, quia, inquam, istud non est possibile, quin hoc sit directè aliquo modo, scil. ut medium, intendere Occisionem invasoris, ideo in hoc sensu nec quidquam repugnante S. Thomâ unice dixit P. Haun. *Potest intendi ipsa Occisio, NB. tanquam medium, hic & nunc necessariò intendendum ad immunitatem sui.**

268. Accedit, quòd in textu, quem Adversarii allegat, S. D. non loquatur de non intendenda morte actualis Invasoris, sed ejus, de quo quis solummodo timet, sibi vel aliis vim aliquando ab ipso inferendam, eò quòd vel latro, vel ut hostis sciatur insidias structurus. Nam de hujusmodi damnosorum hominum facie Publicola quæstionem suam transcripserat, & juxta eam S. Augustinus, atque ex ipso S. Thomas respondit. Vnde uterque ad licentiam inferendæ mortis hujusmodi hominibus, publicum insuper Autoritatem requirit, quæ pro casu actualis invasionis, & iustæ defensionis, neceberet, nec posset requiri. Verba S. Augustini ad Publicolam sunt hæc. *[De Occidentis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publicâ functione teneatur; ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, acceptâ legitimâ potestate, si ejus congruit personæ.]* S. Thomas verò I. c. in corp. ex mente relati præfatus ita loquitur. *[Sed quia occidere hominem non licet, nisi pub. Autoritate propter bonum commune, illicitum est, quòd homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat (ecce quàm prorsus alio in casu textus Adversarii à S. D. prolatus sit) nisi ei, qui habet publicam Autoritatem, qui NB. intendens hominem occidere (ecce intentionem mediâ, quâ talis, approbatam) ad sui defensionem, refert ad pub. bonum, ut patet in milite, pugnantem contra hostes, & in ministro Judicis, pugnantem contra latrones; quàmvis etiam & in peccent, si privatâ libidine moveantur.]* Utramque hanc explicationem Angelici Doctores inveniet Adversarius apud Præclarum ejus Discipulum Dominicum Soto de Just. lib. 5. q. 1. a. 8.

269. Ad secundam quæstionem P. Haunoldus n. 637. iterum affirmativè respondit cum communissima Sententia apud Theologos & Juristas, inter quos sunt Abbas cap. Olim 1. n. 17. de Restit. Spol. Tiraquell. c. 20. de Nobilit. n. 64. Clarus §. Homicidium. n. 26. & 34. Navar.

Navar. cap. 15. Manual. n. 4. Dominicus Soto l. c. prope fin. ubi querens. [An Ingenuus Vir aut illustris, qui videns hostem ad se gladio appropinquare, fugiendo posset liberare vitam, fugere cum suo dedecore teneatur, ne suam, vel hostis, periculo mortis obijciat.] Hæc subiungit. [Respondetur, non teneri se in pedes conferre; quia moderamen hoc adhibendum est citra honoris detrimentum, quod alicujus sit momenti. Quapropter Sacerdotes & Monachi fugere omnino in tali casu tenerentur: utpote quorum honor non est, consilium illum expectare.] Huic consentit non minus egregius S. Thomæ Discipulus Dominicus Bannes. q. 64. a. 7. dub. 2. inquires. [Ex dictis sequitur unum corollarium, quod non tenetur homo fugere aggressorem, quando ipsa fuga est ignominiosa: sicuti est Militi & Viro nobili.]

270. Opponit quidem Adversarius S. Thomam 2.2. q. 64. a. 7. ad 5. illud Apostoli, *Non vos defendentes*; sic exponentem cum Glossa: *id est, non sitis referentes Adversarios*: sed si præmisisset Verba immediate antecedentia ex S. D. habuisset Solutionem, ea sic sonant. *Ad quantum dicendum, quod ibi prohibetur defensio, que est cum livore Vindictæ.* Unde Glossa dicit &c. Subsumo: Atqui defensio unice prælata fugæ ad tuendum suum honorem & Vitam, non est cum livore Vindictæ, ergo non prohibetur. Ratio autem à priori est, cur non prohibeatur: quia ommissio fugæ non est excessus defensionis, imò non est defensio Vitæ, sed honoris, & per eam homo solum se ponit in necessitate, defendendi Vitam suam occisione iniqui Invasoris: sed istam necessitatem ob evitandam gravem ignominiam merito subit, utendo Jure suo, & manendo in eodem loco, per quod alteri nullum infert damnum, sed is invadendo cogit ad inferendum damnum per justam defensionem.

271. Rursum instat Adversarius, inferendo contra P. Haunoldum n. 657. hinc sequi, quod ad recuperandum honorem liceat percutientem repercutere, juxta Reg. 53. de Regulis Juris in 6. *Cui licet, quod plus est, licet utique quod est minus.* & L. Nec in ea. ff. ad legem Iuliam de adulter. ubi dicitur: *Qui occidere potest adulterum, multo magis contumeliâ poterit lute afficere.* Confirmat etiam illationem argumento à Majori ad Minus. Si enim repercussio est vindicta, adeoque illicita, & multa trahens inconvenientia, à fortiori Occisio hostis, qui fugâ securè potest declinari, continet formalem rationem vindictæ.

272. Verùm præterquam, quod textus ex utroque Jure allegari, in utroque exceptionem, vel Majorem declarationem requirant, nam L. Cum quaritur. ff. de Administrat. Pupillus po-

test omnia nomina, quæ fecit tutor, respuere, sed non quædam respuere, & quædam approbare: & L. In Causa ff. de Procurat. Licet, Procuratoris gesta in totum, non autem in partem revocare. Et Cap. Latorem, 33. q. 2. Conceditur cuidam Matricidæ sacram Communionem de Altari sumere, non autem cum aliis fidelibus ad aram oblationes offerre: Præterquam, inquam, quod textus ab Adversario citati, multis instantiis, Jurisperitiam illius fatigantibus, limitari vel magis illustrari possent, sunt propterea impertinenter adducti, quia in Regula Juris supponitur manere idem fundamentum, & rationem extendentem se etiam ad minus. Lex Nec in ea. tantum loquitur de foro externo (pro quo tamen Jure Ecclesiastico etiam est correctæ) in quo sicut non puniatur Pater, adultero, cum filia deprehensa, inferens mortem, ita non puniatur inferens contumeliâ, in foro interno autem utraque privata vindicta Patri est illicita.

273. Deinde etiam in casu Adversarii non est paritas rationis. Quia ut liceat injustum invasorem occidere, contra quem per fugam Vita salvari potuisset, ratio est, quod honor per omissionem fugæ possit servari, ne auferatur, quod non minus licet, quam servare bona temporalia, inferendo, si opus sit, etiam ipsam mortem aggressori: quando autem percussione ignominia jam est plenè illata, repercussio non potest esse medium ad conservandum honorem, & ideo tam parum potest esse licita, quam occisio furis privata, ad recuperanda bona jam ab illo injustè possessa. Sic ergo non supponitur adesse idem fundamentum, licetque id quod est plus, quia pro illo habetur sufficiens fundamentum, non tamen licet, quod est minus, quia pro illo nec habetur idem, nec aliud fundamentum. At in casu contumeliæ adultero illata, habetur idem fundamentum, nempe dolor paternus, perturbatio animi &c. excusans à punitione civili Vindictæ Majoris, multo magis excusat à punitione Vindictæ Minoris.

274. Hanc disparitatem P. Haunoldus assignatâ ratione à priori, quare repercussio contineat rationem Vindictæ, Occisio autem Invasoris solum contineat rationem inculpatae tutelæ, hoc discursu eleganter declaravit. [In æstimatione hominum mundanorum in tantum recuperatur aut defenditur honor repercutiendo, in quantum hinc concipiunt & æstimant animositatem in Vindicanda injuria; ergo supponitur formaliter committi vindicta. Hinc potest reddi ratio à priori. Quia repercussio non defendit honorem ne auferatur, aut denegetur: Jam enim supponitur ablatum per antecedentem percussione aggressoris, nec repercussio facit, ut alter suam inhonorationem emendet, & honorem ablatum restituat, sed solum facit, ut ali-
us honor & æstimatio animi vindicativi substi-
tuatur,

CONTROVERSIA LXIV.

DVELLI MALITIA.

*An propter evitandam gravem
Ignominiam liceat provocato descen-
dere in publi-
cum.*

tuatur, & generetur de novo, qui in hominum
æstimatione compenfat honorem ablatum, resul-
tarque ex æstimatione vindictæ apud mundanos
homines, qui tamen honor & æstimatio ex in-
trinseca ratione non est licite procurabilis.]

275. Quæ Verba non videtur Adversari-
us satis consideratè legisse, unde etiam numerum
marginale loci hujus non rectè allegavit, ponendo
numerus 659. Multò minùs existimo illum
perpendisse Verba Dominici Soti l. c. alias timu-
isset, ne in se prolata crederentur, quæ sic se ha-
bent. [Vnum autem hic quispiam medita-
bitur Sophisma. Videtur namque nobili, qui
in conflictu Vulneris accepit, licere, hostem ces-
sare jam volentem, repercutere, non quidem in
defensam Vitæ, sed honoris, quem ei abstulit;
Nam si licet expoliato, bona fugienti latroni Vi
eripere, cur non & isti eripere honorem? Res-
pondetur disparem esse rationem: nam latro
importat tua ipsa bona, quæ ab illo eripis: in
Casu verò præsentis ille, qui te dehonestavit, non
secum portat tuum honorem: quare non potes
illum jam vindicare, nisi per vindictam, quæ
soli pub. potestati licet.] Ita laudatus Tho-
mistæ profus in assertione, & ratione, & do-
ctrinæ consequentiâ consentit cum P. Haunol-
do.

276. Ceterùm Adversarius etiam nimis
confidenter sibi persuasit, quod Occiso aggres-
soris, suppositâ necessitate non fugiendi Salvo
Occisoris honore, sit formaliter plus, quàm re-
percutio respectu damni, aut periculi, ne non
ipsa Vita, sed honor aliquis perdat omisâ re-
percussione; hæc quippe repercutio, etsi ma-
terialiter sit quid minus, formaliter tamen est
plus, sicut Vulneratio solam alapam prius inflig-
gentis esset plus; quamvis etiam hæc esset aliquid
minus occasione. Formaliter autem omne illud
est plus, quo exceditur moderamen inculpatæ
tutelæ, uti etiam per repercussione excedi o-
stendimus. Deinde, repercutio non debebat
ab Adversario comparari cum Occisione, quæ
defenditur Vita, sed cum negatione fuge & per-
sistentiâ in loco certaminis, quæ defenditur hor-
nor, hæc autem cum per se neque sit damnosa
Aggressor, sed ipse ex sua iniquitate pariat sibi
damnum vitæ, cogendo alterum ad istud infe-
rendum, ideo repercutio esset plus, & illicita,
non autem persistentiâ in loco certaminis, quæ
positâ Aggressor posset desistere ab invasio-
ne, & ideo damnum subsequens
sibi imputare
debet.

* * * *

277. **D**uelli malitiam (de qua immerito di-
cit Adversarius S. Thomæ egisse 2. 2. q. 95. a. 8. ad 3. ibi enim tantum agit de malitia
Divinationis per sortem, quæ etiam duellatione
fieri potest) P. Haunoldus tr. 2. de Just. n. 649,
non palliavit solâ vocabuli mutatione, ut Adver-
sarius arguit; sed ostendit discrimen reale, inter
significatum duellationis, vel acceptationis du-
elli, & inter descensum alicujus in publicum, cum
expressa protestatione non pugnandi, nisi vi
ad defensionem sui compellatur. Vnde non est
paritas inter solam mutationem vocabulorum,
quando denarij contra prohibitionem cap. in
tantum. de Simonia, ex eadem causa Simoniaci re-
cepti modò Chrysmales, modò Paschales, modò
Consuetudo mediæ quadragesimæ dicebantur: nam
ibi expressè de transgressioribus ait Pontifex In-
nocentius III. *Ut causam recipiendi dissimulent, no-
men denariorum variant.* In acceptatione duelli
autem, in qua ponitur descensus in publicum, &
nimo confingendi cum hoste, & satisfaciendi il-
lius petitioni, eumque vulnerandi aut Occiden-
di, intervenit discrimen reale, fundatum in in-
tentione diversa ab ea, qua quis descendit in
publicum solo animo ostendendi, se non timere
sibi ab hoste, atque etiam expressè illi dicere, se
suo descensu, id solum voluisse testari; nolle
enim pugnare, vel ullo modo aggredi, sed poti-
us pacem colere, paratum solummodo se esse,
inculpatâ tutelâ, si ultro invadatur, se viriliter
defendere. Diversitas autem Intentionis in ca-
su justæ defensionis, sufficit ad excusandam mali-
tiam Occisionis, teste S. Thomæ. 2. 2. q. 64. a. 7.
in C. [Dicendum (inquit,) quod nihil
prohibet unius actus esse duos effectus, quorum
alter solum sit in intentione, alius verò sit præter
intentionem. Morales autem actus recipiunt
speciem secundum id, quod intenditur. Non
autem ab eo, quod est præter intentionem, cum
sit per accidens. Ex actu ergo alicujus scilicet
defendentis, duplex effectus sequi potest, unus
quidem conservatio propriæ Vitæ (vel Bonorum
fortuna, aut honoris) alius autem Occisio inva-
dantis. Actus ergo ex hoc, quod intenditur
conservatio propriæ Vitæ, non habet rationem
illiciti &c.]

278. Præter diversitatem intentionis, pro-
cedentiâ

cedentis ex naturali Jure, quod quisque habet ad Vitam, famam, honorem, bona temporalia defendendum, & propterea honestantis actum de se ac intrinsecè indifferentem, nempe descensum in publicum, unice, ut hic supponitur, necessarium ad cavendam ignominiam meticolositatis, Viro nobili aut militari valde dedecorosa, (nisi ratione ætatis, vel infirmitatis, vel aliâ ratione excusari possit, ut expressè excipit P. Haun. n. 650.) accedente actuali protestatione prædictâ, intuper obtinetur finis legis prohibentis directam acceptationem duellationis, partim quia adhuc evitatur frequentia conflictuum privatorum, cum raro contingat casus, in quo descensus in publicum sit medium unice necessarium ad evitandam ignominiam timiditatis, aliter non excusabilis: partim quia ipsa protestatio comparentis, & offerentis se ad componendam pacem sine conflictu, est medium ex natura sua idoneum ad dehortandum ipsum provocantem, & ad præbendam occasionem aliis sese interponendi, ac inhibendi actualem pugnam.

279. Sic ergo, etsi sola nominum Variatio, ad quam Adversarius unice repperit, non serviat ad excusandam malitiam descensus, & hic per accidens secuta defensionis, excusat tamen diversâ intentione, hosti notificata per protestationem dehortatoriam, & per se conciliativam pacis; cui diversitati intentionum correspondent deinde diversa vocabula, eandem significantia. Simile quid contingit in evitanda malitia usura: etiam enim in cap. Plerique, 14. q. 3. ex S. Ambrosio dicitur: *Et esca usura est, & est usura est, & quodcumque sorti accedit, usura est, quod velis, ei nomen imponas, usura est.* Si tamen mutuans alicui pecuniam cum expressa protestatione, suæ intentionis non esse, mutuatarium obligare ad quidquam dandum ultra sortem, deinde ex hujus gratuita liberalitate simile quidpiam acciperet, usuram utique non committeret, non quia diversitas Vocabulorum *lucris ac donis*, sed quia diversitas intentionum ex parte dantis, & accipientis, per Vocabula designata, peccati malitiam impediret, ut ad vertit etiam S. Thomas. 2. 2. q. 78. a. 2. inquit: [Sicut si aliquis pro pecunia mutuata, vel quacunque alia re, quæ ex ipso usu consumitur, pecuniam accipit ex pacto tacito, vel expresso, peccat contra Justitiam: ita etiam quicumque ex pacto tacito vel expresso quodcumque aliud acceperit, cujus pretium pecuniâ mensurari potest, simile peccatum incurrit. Si verò accipiat aliquid hujusmodi, non quasi exigens, nec quasi ex obligatione tacitâ, vel expressâ, sed sicut gratuitum donum, non peccat.]

280. Hæc licentia progrediendi in publicum, in casu planè rarissimæ necessitatis, alias inevitabiliter incurrendi gravem ignominiam, firmari potest paritate præcedentis Controversiæ:

Sicut enim in tali casu juxta communioem sententiam non tenetur quis per fugam recedere à loco publico, etiam si injustè invectus id posset facere, pari ratione licebit prodire in publicum; cum istud nondum sit damnificatio proximi, ab illo inevitabilis, sed sit actio de se licita, & ad quam quis ponendam de se habet Jus, si ipse eâ omisâ grave damnum honoris non posset evitare, alter autem eâ positâ damnum Vitæ suæ facile posset evitare. Quod pluribus iterum instantiis ex materia de Scandalo proptio, & alieno, illustrari posset, ex communissimi sensu DD. sententium, licet poni actionem de se indifferentem, sine magno incommodo vel damno in quocunque genere bonorum inomisibilem, non obstante probabilissimâ prævisione alicujus peccati, inde secuturi: cujus exemplum, valde propriam huic loco paritatem continens, subjungo Verbis Doctissimi Bannez. 2. 2. q. 64. a. 7. dub. 3. in fine. [Si irritatus est certus moraliter, quod irritans vult cum illo digladiari, debet Verbis suum honorem modestè defendere, sed non tenebitur domi manere, sed poterit exire; quoties sibi opportunum erit ad negotia sua tractanda.] Infero nunc: ergo a quo bene propter honorem defendendum, quam propter negotia pro lucro minoris rei gerenda, poterit exire. Certè longè plus, quam P. Haunoldus & quam Dominicus Soto supra cit. concedit in practica Theologia Versatissimus Navarrus in Man. c. 15. n. 4. dicens. [Qui jam est Vulneratus, vel quem aggressor jam reliquit, & fugit, non potest absque peccato illum occidere: quoniam jam illud est Vindictam sumere, & limites defensionis transgredi. Quod limitandum existimo (citar in margine etiam Richardum & Victoriā) quando affectus injuriâ Vulneris, aut alapæ, vel aliâ, magnam sui honoris jacturam faceret: si fugientem non persequeretur, nam talis posset eum persequi, & percutere tantum, quantum ad sui honoris defensionem opus esset: nam licet illud non esset defendere personam, neque fortunas; esset tamen defendere honorem, quem licet defendere etiam Occidendo, si eo ad id opus esset.]

281. Idem Egregius Doctor immediate ante hæc relata Verba, etiam dixit: [Quod si ille, quem alius aggreditur, non potest absque suo dedecore fugere, non tenetur id facere: & si non potest vitare Vulnerus, NB. aut alapam, quam sibi alter molitur impingere, nisi ipsum occidendo, poterit occidere.] Itaque immerito P. Haunoldum reprehendit Adversarius, n. 654. subscriberem, licere hoc Viro magnæ autoritatis, loquendo de Laicis secularibus, si quis niteretur ei alapam infligere, vel contumeliosè flagellare: quia majoris estimationis est in homine seculari Laico (Clerici autem & Religiosi ex Virtute Religionis tenentur etiam talis

honoris jacturam subire, pro salute proximi, præsertim post decretum Alexandri VII.) honor ille retentus, seu impeditio tantæ ignominie, quàm bona fortunæ, quæ tamen possunt mortis illatione defendi. Et quia jactura illius honoris est Majus damnum, quàm talis teneatur subire ex Charitate, aut alia Virtute ad Vitam alterius conservandam: præsertim si in hujus sit potestate, sibi vitam suam servare. Eandem sententiam prius tradidit Dominicus Sorus, lib. 5. q. 1. a. 8. sub finem, inquiens: [Ex his supra dictis fit, quod si quis quenquam aggrederetur: ut cum fuisse levissimè percuteret, posset id alter etiam hostem interiimendo repellere. Præsertim in Hispania, ubi tam atrox illa injuria reputatur.] Consentiunt etiam Sylvester Verbo *Homicidium* l. q. 5. Ludovicus Lopez. cap. 62. Antonius Gomez. to. 3. c. 3. n. 23. Julius Clarus §. *Homicidium* n. 26. nec improbat Diana p. 3. tr. 5. Milc. Refol. 90. imò multis relatis approbat. p. 5. tr. 4. Refol. 4.

282. Neque tamen propterea rectè inferri Adversarius, P. Haunoldum, & consequenter etiam citatos Thomist. & D. D. à S. Doctore recessisse, dum ille 2. 2. q. 64. a. 5. *Nulli ad evitandas quaslibet præsentis Vitæ misérias, imò nec mulieri, ne ab aliq. corrumpatur, Suicidium permittit*: sive enim hæc Verba Adversarius pro paritate, sive pro Regula & mensura Charitatis alleget, nihil tamen probat; Non paritatem, quia deest titulus justæ defensionis, quo quis tantum contra iniquum invasorem Vitæ, honoris, bonorum fortunæ, uti potest, non contra seipsum, cum juxta S. D. nemo possit sibi ipsi injuriam vel inferre, vel intentare: Non mensuram Charitatis, quia hæc tantum exigit, *ut quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, nisi id sit necessarium ad justam tui, & rerum tuarum, vel etiam alienarum, defensionem: aliàs contra S. Thomam. l. c. in corp. sequeretur, quod omnis defensio, etiam moderamen inculpatae tutelæ non excedens, esset contra Charitatem, quia quilibet quando ipse esset injustus invasor, cuperet sibi Vitam ab alio non auferri per justam defensionem. Itaque mensura & regula Charitatis sic debuisset ab Adversario præsentis casui applicari: sicut quilibet vult sibi esse licitum, Vitam, honorem, & bona temporalia, tueri contra injustum invasorem, etiam, si opus fuerit, occisione illius, sic debet velle, id esse licitum cuivis alteri, si ipse alterum injustè invaderet.



CONTROVERSIA LXV.

PECCATVM FVRTI.

De Materia furti, & obligatione pauperum erga divites, ac divitem erga pauperes.

283. Illam Veritatem, quæ Adversario nimis videtur subtilis, quod, si nim. posito mediam florenum esse summam mortalem infamam, seu minam, quis uno obolo minus acciperet, sum non peccaret mortaliter. Satis Sensibiliter probavit P. Haunold. to. 1. de Just. tr. 2. n. 330. ita loquens. [Sicut enim navigium physicè submergitur per ultimam guttulam aquæ, & per unam minimam guttam Vini homo ex non ebrio fit ebrius, ita debet dari unum indivisibile quantitatis, completens sufficientiam ad commovendam iram, & dolorem difficultè temperabilem; hoc autem ex communiore DD. judicio, putamus esse ultimum constitutum medij floreni: quod si tu velis unum indivisibile demere, statim urgeris de proximo indivisibili, & sic procedatur, donec vel absumat tota quantitas medij floreni (quod est absurdum) vel debebis & rursus quelam argumenti concedere.] Itaque horum Verborum solutionem Adversarius adhuc debet Patri Haunoldo.

284. Loco responsionis verò reddit hanc interrogationem. [Quod enim deveniremus, si ejusmodi librâ mathematicâ ponderaremus essentiam jejunii, similiumque rerum moralium, in quibus parum & nihil æquiparantur?] Respondendo, quod negato priori discursu P. Haunoldi eò deveniret Adversarius, ut si integrum bovem die jejunii comederet, nunquam esset, vè, & in actu externo graviter peccaret contra legem temperantiæ, quia levitas materiæ nunquam defineret, & gravitas nunquam inciperet, si levis materia novo bolo superaddito temperaretur, & si superadditus bolus, ut pote parum quid, nihilo æquipararetur. Et sic idem contingeret in alijs similibus rebus moralibus. Sicut ergo in physicis rebus, in quibus est eadem ratio quantitatis, minimum pondus, ut sibi objicit S. Thomas q. 7. de malo a. 3. per additionem potest tam grave fieri, ut super virtutem portantis: (aliàs si unica arenula superaddita prioribus arenulis adhuc portabilibus, non tandem redderet pondus importabile, nunquam posset per successivas additiones arenularum effici pondus importabile, etiam si integer mons coacturaretur) ita etiam in moralibus potest ex parte objecti, ubi est eadem ratio quantitatis, ulnismi minimi additione fieri pondus tam grave, ut mereatur absolute dici gravis materia, constituens peccatum materialiter grave.

285. Unde quando S. D. ex prædictis Verbis tanquam ex antecedenti physico inferi simile consequens morale, dicens: *ergo Veniale peccatum per additionem potest fieri mortale*, negationem consequentiæ in responsione ad objectionem non fundat in hoc, quod tantum leve ad leve addatur (nam ex tali additione faretur in corpore cit. art. posse fieri grave) sed fundat in hoc, quod quantitas malitiæ formalis, residentis in actu Veniali, sit diversæ rationis à quantitate malitiæ formalis, inexistens peccato mortali: Verba itaque illius in responsione, ad 11. sunt hæc: [Dicendum quod in omnibus ponderibus corporalibus est una ratio quantitatis: non autem in peccato mortali & veniali: unde ratio non sequitur.] In Corpore autem sic loquitur. [Quandocumque ex multis aggregatis fit aliquod unum, oportet esse eandem rationem quantitatis utrobique, sic autem ex multis parvis lineis fit una linea: ubi verò est alia ratio quantitatis, ex multis non fit unum. Non enim ex multis numeris fit una linea: nec è converso: peccatum autem veniale non habet eandem rationem magnitudinis cum mortali. Nam quantitas peccati mortalis est per aversionem à fine ultimo, quantitas autem peccati Venialis est secundum aliquam deordinationem circa ea quæ sunt ad finem.]

286. Ex his verbis pro quantitate gravi ex parte objecti, circa quod versantur actus morales, per additionem ultimi minimi tandem conficienda, (cò quod eadem ratio specifica quantitatis reperiatur in singulis obolis, in ordine ad grave damnum temporale in bonis fortunæ per additionem ad se invicem constituendum: & eadem ratio quantitatis reperiatur in singulis bolis carnis ad constituendum cibum graviter prohibitum) sic probò paritatem in physicis, & moralibus; quando actus morales comparantur ad res physicas, tanquam ad objecta sua materialia *circa quæ*; & repeto totum argumentum S. Doctoris, quod sibi objecerat proprijs illius Verbis: [Peccatum est quoddam pondus animæ, secundum illud psal. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me: Sed NB. minimū pondus per additionem potest tam grave fieri, ut superet Virtutem portantis] ergo (infero nunc ego) minimum pondus ex parte materiæ venialiter peccaminosæ per additionem potest fieri tam grave, ut terminet malitiam peccati formaliter gravis, quod sit pondus animæ. Antecedens, quod S. Doctor non per modum minoris, sed per modum *subsumpti* posuit, est verum, si servetur eadem quantitas, sub eadem ratione formali considerata, ut dixit in corpore art. atqui in consequenti servatur eadem quantitas ex parte materiæ: Ergo & consequens est Verum.



287. Sed objicit Adversarius duos textus S. Thomæ, in priori circa distributionem Bonorum Ecclesiasticorum ab Episcopo faciendam, inquit S. D. 2. 2. q. 185. a. 7. in Corp. [Siquidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet.] In posteriori textu q. 66. a. 6. ad 3. ait: *illud quod modicum est, ratio apprehendit, quasi nihil.* Resp. ad primum, verissimum esse, quod Homo non possit punctualiter accipere, id est, agnoscere illud, quod fieri oportet, nihilominus tamen à parte rei esse punctualiter determinatum aliquem finem materiæ levis, & aliquod initium materiæ gravis; illudque à Deo cognosci. Unde ex Suppositione, quod Medius forensis esset ex natura rei punctualiter determinatus pro initio summæ gravis, propositio illativa P. Haunoldi, quæ tantum est hypothetica, est necessariò vera, quod scilicet, si additamentum inchoans summam gravem, tolleretur, solum remaneret summa levis, potens fieri gravis per repositionem levis additamenti. Ut verò Autor vel Lumen naturæ homini non punctualiter manifestaret finem levis, & initium gravis summæ, utile ac necessarium erat, ne absque formidine peccati mortalis in fraudem gravis prohibitionis, furarentur homines sibi mutuo liberrimè usque ad initium gravis summæ.

288. Ad secundum textum dico, S. Doctorem l. c. expressè loqui de *modico* seorsim sumpto, non prout est complementum summæ gravis, additum fini summæ levis; si enim quis rem levem furaretur ex advertentiâ ad plura levia damna præcedentia, cum ultimo moraliter coalescentia in unam summam gravem, vel ex animo plura levia superaddendi, usque dum compleatur summa gravis, talis unanimi sensu D. D. peccaret mortaliter: & ideo S. Thomas l. c. mox subjungit. [Si tamen habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiam NB. in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut & in solo cogitatu per consensum.]

289. Ad alteram Controversiam, in titulo propositam, quæ est de obligatione pauperum erga Divites, & horum erga pauperes, procedendo, adverto, ab Adversario non impugnari duas assertiones P. Haunoldi, quarum primâ dicit, n. 347. Licere constituto in gravi necessitate, (cui nimirum imminet periculum moraliter certum amittendi bonum aliquod grande, à natura per se, & communiter omnibus hominibus concessum, P. G. Sanitatem graviter ledendi, amittendi libertatem, vel faciendi gravissimam famæ jacturam, quam communiter omnes homines habent, & sine qua essent abominabiles.) accipere ex alienis, non solum Statui superfluis, sed illi conservando necessariis, mo-

T

do

dò non excedat medium ordinarium, & commune. Quia, ut inquit cit. P. Haunoldus, in tali casu videtur natura voluisse, bona aliena esse communia, ad defendenda illa bona intrinseca hominis, quæ cum tanta providentia omnibus communiter procuravit.

290. Quam assertionem suam Autor seqq. duobus numeris adhuc limitat, & primò restringit ad bona aliena, ita solummodo necessaria ad conservationem Status, ut tamen ijs ablatis alter non statim decideret de Statu, sed quæ morali æstimatione ita censentur necessaria, ut eorum jactura causet sollicitudinem reparandi, ne aliquin Status difficulter conservetur: sicut bona dicuntur necessaria ad Vitam, quorum tamen aliqua jactura non statim infert mortem. Secundò adjicit conditionem vel modum, sub quo natura prædictam licentiam seu Jus confert, ut nempe, si elapsa necessitate homo potest facere restitutionem, ad eam teneatur. Sub his ergo saltem limitationibus acceptam assertionem non impugnatur Adversarius; credo, quia legit *Glossam in cap. si quis propter necessitatem de furtis*, Panormitanum, & alios ibid. Navarrum cap. 17. Man. n. 5. illam admittentes & Dominicum Banez. 2. 2. q. 32. a. 7. in fine; asserentem, nec improbantem: [Si fuerit homo, cui pro ratione sui Status gravissimum sit mendicare, neque aliâ viâ possit victum necessarium acquirere, non desunt opinantes, posse eum clanculum accipere, ubicunque invenerit victum aut vestitum.]

291. Altera assertio P. Haunoldi, quam etiam nondum impugnatur Adversarius, refertur ex lib. 3. Theol. Specul. n. 597. scil. *Eleemosynam non nisi ex bonis aliquo modo superfluis esse ex obligatione faciendam*. addere tamen etiam debuisset Adversarius ex loco citato adhuc aliud *Nisi*: quia ibid. P. Haunoldus dicit: *Necessitati extremæ reſideris subvenire ex convenientibus statui, non tamē ex necessariis conservando statui, ita ut sine talibus bonis miser evaderes, & ex pristino statu decideres*. Hoc ergo *Nisi* addito impletur illud S. Thomæ 2. 2. q. 32. a. 3. in C. *Sic ergo dare eleemosynam de superfluo, est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate*. Videtur tamen Adversarius posteriorem hanc assertionem opponere voluisse priori: quòd si extra casum extremæ necessitatis homo non teneatur constituto in gravi necessitate succurrere de necessariis proprio Statui conservando, hoc ipso non liceat, de his aliquid occultè accipere, quia S. Thomas. 2. 2. q. 66. a. 7. & 4. dist. 15. q. 2. a. 5. q. 1. in C. Licentiam surripiendi etiam pro extrema necessitate, aliquo modo fundat in obligatione ultro dandi talem necessitatem patienti. Verùm S. D. locis cit. prædictam obligationem tantum requirit ad licentiam absolutam à conditione & modo obligatorio restituen-

di, si elapsa necessitate homo potest facere restitutionem valoris, æquivalentis rei absumptæ, quia, ut inquit S. D. cit. a. 7. in corp. *rei, quæ aliqui superabundanter habent, debentur pauperum sustentationi*. Et in resp. ad 2. per talem necessitatem efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandam propriam Vitam. In casu autem gravis, & nondum extremæ necessitatis, voluntas conditionata restituendi sufficit, ut Dominus non possit esse rationabiliter invitatus, & ut surripienti non faciat furtum, sed potius occultam mutationem rei, gravi necessitate excusabilem, & à natura concessam.

292. Transeo nunc ad objectionem ex prædictis P. Haunoldi assertionibus ab Adversario illatam, quòd scil. secundæ assertioni Autor paradoxè subjunxerit: [Semper ob futuram probabiliter rerum mutationem adest titulus probabilis; quo bona numerentur inter necessaria Statui conservando, vel etiam meliorando, altiusque evehendo.] Quæ clausula (sublimiter Adversarius) non tam Angelico Doctori 2. 2. q. 32. a. 5. contradixit, quam innuit illud præceptum Christi Luc. 11. *quod superest date eleemosynam*, esse de subiecto non supponente. Quando enim aliquid superest, si semper additulus boni numerandi inter necessaria.

293. Verùm, nullo interim, quòd P. Haunoldus tantum retulerit aliorum D. D. sententiam, ipsam particulam, *semper*, limitavit per particulam exceptivam *Raro*, ut adeoque idem sit ac si dixisset: *Semper (à potiori loquendo) ob futuram &c.* Vnde debuisset Adversarius hac particula P. Haunoldi Verba prius exscripsisse: *Alia sunt superflua etiam Statui; sed hæc Raro inveniuntur Doctores: semper enim ob futuram &c.* Si autem Adversarius vult scire nomina illorum Doctorum, cum quibus putat P. Haunoldum S. Thomæ contraxisse, primus nominari meretur Em. Card. Cajetanus, qui in cit. locum S. D. ita commentatur. [Ad secundum verò dicitur, quòd ille, qui alias licitè potest mutare Statum, & hoc probabiliter expectat, non habet pro superfluo secundum præsentem Statum, quidquid sibi in Statu hujusmodi expectationis opportunum censetur. Vnde licitè potest & futuro Statui opportuna servare, & pro illo habendo exponere. Præceptum enim de eleemosyna superflui præsupponit superfluum, non verat mutationem Status, sed in hoc falli contingit Judicium aliquorum (inter quos est Adv.) quòd superfluum judicat, non consideratis omnibus.] Huic accedit Navarrus, quem refert & sequitur doctiss. noster Vasq. in *Opusculis moralibus* opuscul. de eleemosyna cap. 1. dub. 3. n. 26. ita loquens. [Appello autem superfluum Status vel præsentis vel futuri, quem ego licitè possum acquirere, & ad illum ascendere, nec enim reneor ego meum Statum & dignitatem amittere.]

re, ut alius non amittat suum; & simili ratione non teneor ego ob similem necessitatem futurum perdere Statum, quem dignè poteram conquirere, quod expresse sensit Navarrus, &c.] Consensit etiam Diana p. 2. tr. 15. Resol. 32. in fine, & p. 5. tr. 8. Resol. 14. §. Dices, & Resol. 20. ubi plures citat. Quibus omnibus favet ipse S. Thomas. Sicut enim voluntas deferendi Statum altiore juxta S. D. sufficit, ut quod sine tali voluntate non erat superfluum, fiat & reputetur superfluum, sic voluntas honesta & licita se se effert ad Statum altiore, ejusque proxima Spes, & possessio pecuniarum, necessariorum ad illum acquirendum, & sustinendum, sufficit, ut quod alias esset superfluum, reputetur non amplius esse superfluum. Id autem in quo instituitur paritas, tradit S. D. 4. dist. 15. q. 2. a. 4. q. 1. in C. his Verbis. Illud, quo subtrahit non potest servari decentia Status aliquo modo sui, vel suorum, non debet aliquis in elemosinas expendere, nisi de facili refarci possit, aut NB. nisi aliquis Statum mutare vellet, quia nullus debet indecenter in aliquo Statu manere.

294. Quia tamen non omnes habent voluntatem, vel proximam Spem, ac Media sufficientia ascendendi altiore Statum, hinc Adversarius immeritò infert, præceptum Lucæ 11. dandi elemosinas, de eo, quod superest, esse de subiecto non supponente. Ceterum illa Verba: quod superest, multi intelligunt non de Præcepto, sed de Consilio, explicantes illa non de superfluis Statui, sed de illis, quæ supersunt Rapinis Judæorum, cum CHRISTUS immediatè ante de illis dixerit v. 39. Quod autem intus est Vestrum plenum est Rapinâ, & iniquitate. Unde ipse Sanctus Thomas citatum Textum sanctæ Scripturæ, ibid. Optionem facit sic intelligendi, dicens cum Venerab. Beda. Vel ita intelligendum quod superest; id est, quod tam multo scelere præoccupatis solum remedium restat, date Elemosinam.

CONTROVERSIA LXVI.

OPINIO TEMERARIA.

An hæc sit Peccatum mortale.

295. Hanc Quæstionem P. Haunoldus to. 1. de Just. tr. 2. n. 521. his Verbis resoluit. Opinio temeraria facilius, & sæpius à peccato mortali excusatur, & per se loquendo, non videtur unquam esse mortale, sicut nec suspicio, & dubitatio. Ita communiter Theologi. Ratio est, quia tale formidolosum Ju-

dicium facile deponibile, non disponit animus, ut procedat ad operationes exteriores, sicut temerarium Judicium; & ideo nemo rationabiliter graviter agere ferret tale Judicium, utpote ex se non graviter nocivum. Ita P. Haunoldus, qui supra n. 515. inter Judicium temerarium & Opinionem, hoc discrimen assignavit. Judicium temerarium est, quo sine sufficiente Fundamento judicas malè de proximo, cum tanta firmitate, ut statuas non recedere ab opinione, nec investigare magis Veritatem. Opinio vocatur, quando quidem opinaris malè de proximo, sed non cum adjuncta firmitate, sed cum tali modo tendendi, à quo te ostendas facile dimovendum.

296. Idem discrimen, & eandem resolutionem tradidit S. Thomas. 2. 2. q. 60. a. 3. in C. Ubi nomine suspicionis temerariæ comprehendens omne Judicium inevidens, nixum levibus indiciis, nomine dubitationis autem, teste Dominico Soto lib. 3. de Just. q. 4. a. 3. & Bannez hic q. 60. a. 3. §. Dubium est. Denotans omne Judicium infirmum, tres solummodo gradus distinguit, & ita loquitur. [Est autem triplex gradus suspicionis: Primus quidem gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat. Et hoc est veniale & leve Peccatum. Pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua Vita ista non ducitur; ut habetur in Gl. super illud 1. Cor. 4. Nolite ante tempus judicare. Secundus gradus est, NB. cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis. Et hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi. Unde Glossa ibidem subdit. Et si ergo suspensiones Vitare non possumus, quia homines sumus; Judicia tamen, id est, NB. diffinitivas, firmasque sententias continere debemus. Tertius gradus est, cum aliquis Judex ex suspensione procedit ad aliquem condemnandum, & hoc directe ad injuriam pertinet: unde est Peccatum mortale.]

297. Cum itaque Adversarius videret, à S. Doctore solum in duobus postremis gradibus peccatum mortale agnosci, ut opinionem infirmam, & dubitantem adhuc, an non fallat, ad secundum gradum reduceret, non se S. Doctore, sed S. Doctorem sibi his verbis accommodavit. [Sub primo gradu, in quo dicit esse peccatum Veniale, solum complectitur opinionem repentinam, quæ sit velut motus primus, quo quis ex humana tentatione de alterius bonitate incipit dubitare, & non opinionem aut suspensionem deliberatè dubitantem.] Verum, opinio repentina, quæ sit velut motus primus ineliberatus, neque est tentatio venialiter peccaminosa, quia non est actus moralis capax malitiæ, & non supponit, sed prævertit dictamen Rationis. Deinde aliud est

opinio repentina, & indeliberata, & aliud infirma, incerta, dubitans, quæ prædicata etiam cum plena advertentiâ, & deliberatione stare possunt; illisque adhuc opponuntur, & ab ipsis excluduntur prædicata actûs mortaliter peccaminosi, à S. D. requisita, & indicata per particulas, pro certo; & diffinitivas, firmasque sententias. Vnde quando idem S. Doctor l. c. ad 2. ait: Ex hoc ipso, quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitè contemnit ipsum: & ideo injuriatur ei; Et quando in corp. præmisit, esse peccatum mortale contemnere proximum, deberet Adversarius illa prædicata addere Opinioni, quæ S. D. ibidem in corp. addidit contemptui mortaliter peccaminoso; nempe ut sit Opinio certa, diffinitiva, & firma: quæ plus significant, quàm deliberata, non repentina.

298. Audiatur igitur nunc Adversarius Em. Card. Cajetanum, ibidem de genuino sensu S. Doctoris ita loquentem. Vbi assignatur secundus gradus suspicionis, diligenter adverte (se admoneri credat Adversarius) & caveas, ne fallaris in illis Verbis, Pro Certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis. Potest siquidem dupliciter intelligi: Primò pro credulitate unius partis cum aliqua tamen hæsitacione admista. Secundò, pro assertiva determinatione, v. g. Video Juvenem cum inhonesta muliere euntem, & credo in mente mea, illos simul velle peccare, atque hoc tanquam verum existimans pertransire, vel admitto, sumque ita in mente mea dispositus, ut, si egomet interrogarem meipsum, an ista æstimatio mea sit apud me adeò vera & certa, quin etiam credam, quod fortè falsa est æstimatio ista, responderem, quod fortè falsa est; veruntamen mihi sic videtur. Tunc est credulitas firma non simpliciter, sed hæsitacioni admista. Si autem essem sic dispositus, quod responderem, quod mea æstimatio est vera & certa, ut nullus dubitationi locus sit, tunc est assertiva determinatio. Sensus litteræ non accipit æstimationem pro certo, primo modo, sed secundo, ut & ly Pro certo significat, & autoritas subjuncta testatur, quæ diffinitivas sententias prohibet. &c. Et hoc nota pro multis, qui credunt se incidisse in temerarium judicium ex mala, quam conceperunt, opinione proximi: nec sciunt discernere inter opinionem, quæ cum formidine aliqua alterius partis est, & Judicium ex opinione non natum, sed temerè prolatum corde, & ore. Ita celeberrimus Interpres D. Thomæ. Cui accedit Diana 3. p. tr. 5. Miscel. Resol. 31. citans Joannem de la Cruz, Rosellam, Armillam, Lopez, Fabrum, Petrum Navarram, & alios. Quorum omnium Testimonio, & imprimis S. Thomæ patet, quod sicut infirmitas Judicij de malitia alterius excusat à peccato mortali, sic idem Judicium, per se loquendo, nemo rationabiliter possit graviter ferre;

per accidens verò id fieri potest, quatenus mala opinio oritur ex gravi odio, vel ex certis circumstantijs colligitur periculum gravis damni secuturi, aut annexi.

CONTROVERSIA LXVII.

DETRACTIONIS LABES.

An sit mortalis, facta coram Vno, in re gravi.

299. Sicut in priori Controversia nimis laxius immeritò, & ut propriam ejus phrasin in ipsum retorqueam, sine energia arguit P. Hannoldum to. 1. de Just. tr. 2. n. 529. dicentem, quod detractio per se loquendo sit peccatum mortale, si fiat in materia gravi, apud unum solum hominem, qui rem Secretam tenebit, nec aliud damnum infert illi, cui detractum est: quod duabus magnæ energiæ rationibus convincitur. Primâ proponit his Verbis, Minus est perdere tantum bonam famam formalem per temerarium judicium apud unum, quàm perdere famam tam formalem, quàm radicalem per detractum apud unum hominem; atqui temerarium judicium tantum tollit famam formalem, & quidem apud unicum hominem, & tamen est peccatum mortale: ergo multò magis detractio, quæ scilicet tollit & famam formalem, id est, bonam opinionem ejus apud quem sit injusta detractio, & famam radicalem, id est, Jus obligandi alterum ad bonam opinionem, tamdiu debitam, quamdiu crimen per detractum in justè detectum, manifestè occultum & incognitum. Hujus rationis energiam per suum silentium ac dissimulationem nondum enervavit Adversarius.

300. Secunda Ratio, à P. Hannoldo assignata, est. Quia vel apud unum Virum gravem amittere famam in re gravi, etiam si quis certus sit, nihil inde ulterius damni secuturum, maxime molestum, & durum est; quod experientia comprobatur in obligatione confitendi delictum Sacerdoti noto, etiam si aliud incommodum nullum timeatur. Ad hanc rationem iterum digitum ori imprimit Adversarius, & textum male intellectum allegat ex S. Thomæ 2. 2. q. 73. a. 1. ad 2. ubi S. Doctor ait. Quamvis etiam si uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus, non in toto, sed in parte. Sed quid inde? ergo non peccat mortaliter? Tunc poterit inferre istam sequelam Adversarius, quando bona erit hæc consequentia: Si quis Regi auferat decem aureos, corrumpit bona ejus non in toto

toto, sed in parte, ergo non peccat mortaliter peccato furti; non enim absolute Regem facit pauperem, sicut detrahens abienti coram uno non facit infamem. Itaque S. Thomas in dicto textu non vult negare malitiam mortalis peccati, quam sequenti articulo ex instituto probat de omni detractione famae in re gravi, sed vult contra factam sibi objectionem ostendere, quod quamvis uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpat famam ejus, non quidem in toto, sicut neque corrumpere, si duobus, vel tribus diceret, sed in parte, & quod proinde definitio detractionis huic famae corruptioni juxta dicta in corpore articuli conveniat, sicut definitio, & mortalis malitia furti convenit ablationi rei alienae, etiam si non sit ablatio omnium bonorum, sed partis.

301. Unde S. Thomas melius intellexerunt alij ejus discipuli, & Doctores, Dominicus Sorus lib. 5. de Just. q. 10. a. 2. concl. 4. Bannez. 2. 2. q. 73. a. 2. Joannes de La Cruz, cum pluribus alijs relatus à Diana 3. p. tr. 5. Resol. 33. Salonijs 2. 2. q. 73. a. 2. contr. 1. qui hanc suam, quam ex P. Haunoldo attuli, sententiam testatur esse communiorē inter Recentiores Thomistas, sicuti est etiam apud alios DD. & esse apertam doctrinam D. Thomae loco ab Alv. allegato, quod etiam Bannez. l. c. testatur.

302. Neque contra P. Haunoldum aliquid evincit Adversarius per hoc, quod, ut ipse inquit, contrariam sententiam ut probabilem, sustineant non pauci, (rectius dixisset: non nulli) & ipse P. Haunoldus lib. 2. Theol. Specul. n. 28. docuerit, licere sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, proinde indirecte admisit, quod directe prohibuit. Debuit enim Adversarius distinguere inter probabilitatem Speculativam, & practicam, quae distinctio apud Theologos decantata est; unde id, quod practice est probabilius, probabilitate extrinseca, speculative loquendo, aut intrinseca, & directa principia spectando, saepe ostendunt esse minus probabile, ut in posito casu ostendit P. Haunoldus. Et hanc contra existimatum morbum Sanissimam medicinam, seu distinctionis observationem, applicet Adversarius, quando ulterius dicit: [Idem morbus inficit alias plurimas Haunoldi assertiones, quantumvis apparenter saniores. Cur enim defatigavit se n. 334. ut probaret, non licere occultam compensationem cum sola probabilitate Juris? Nam etsi concedatur id esse probabilius, saltem minus probabiliter oppositum tenent Sanchez, & Lugo.] Illa quippe distinctione observata, & officio Theologi perpenso, quod non sufficiat allegare doctrinas aliorum Doctorum, & forsan ex aliquo etiam S. Doctore textus quosdam apparentes exscribere, sed quod oporteat etiam mentem, & verita-

tem doctrinae per principia intrinseca examinare, atque statuere, quid probabile, & quid probabilius videatur, facile perspiciet Adversarius, assertiones Saniores P. Haunoldi manere Saniores, si sana mente legantur, etiam si opposita doctrina etiam sit sana, & directe probabilis, imò licet etiam dictamen reflexum, quod in praxi liceat sequi sententiam verè probabilem relicta probabiliori, sit probabilius, atque certum.

303. Ceterum in allato exemplo, de occulta compensatione, vel ideo etiam Adversarius non ostendit, P. Haunoldum inutiliter laborasse, quia Thomas Sanchez expressè improbabilitatis notā afficit Opinionem Joannis Sanchez, asserentis, licitam esse occultam compensationem cum sola probabilitate Juris; pro cuius proinde improbabilitate ostendenda, & non tantum pro minus probabili reddenda, utiliter laboravit P. Haunoldus to. 1. de Justitia tr. 2. a. n. 334.

CONTROVERSIA LXVIII.

OBLIGATIO RESTITVENDI.

An istam subeat Reus, negans crimen, de quo fuit luridice interrogatus.

304. **C**ontra responsonem negativam P. Haunoldi to. 1. de Just. tr. 2. n. 556. docentis, quod si Reus neget delictum cum praedictio famae Accusatoris, tamen non teneatur eam restituere confitendo delictum, etiam quando Juridice interrogatur, impertinenter ab Adversario sunt adducti omnes textus Angelici Doctoris: licet enim S. D. 2. 2. q. 62. a. 4. dicat: *Quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre id, in quo ipsum damnificat. Et ideo homo tenetur ad restitutionem ejus, in quo aliquem damnificavit;* ibi tamen solum loquitur de damnificatione positiva, illata per actionem, ad quam non ponendam alter possit imponere obligationem ex justitia: in posito autem casu, ut recte inquit P. Haunoldus, Reus negando crimen, non est causa positiva infamationis accusatoris, aut testimonium, sed merè permissiva, non cooperando ad conservationem famae: imò, ut paulò post subiungit, illorum fama prorsus per accidens laeditur; quia per se loquendo homines potius judicant, reum negare crimen non praecise, ut verum in se, sed ut verum eā veritate, quae judicialiter ab Adversario probari possit, quod

exemplo Scholastico declarat ibidem P. Haunoldus. Sicenim, inquit, in publicis Scholasticis concertationibus nemo, ut ipse etiam S. Thomas 3. dist. 38. a. 5. ad 1. testatur, arguet mendacij defendentem, si fore (ut fieri solet) neget aliquam propositionem, quam in animo putat esse veram; nempe quia ex receptissimo usu vox illa; *Nego*, non habet nudam significationem animi negantis, sed istam: *Nego hoc esse verum tali, tamque patente Veritate, ut ab arguente possit efficaciter probari.*

305. Itaque antequam noster Adversarius ex S. Thoma ostenderet obligationem restitutionis, debuisset prius ostendisse, damnificationem famæ, Accusatori per accidens apud aliquos, malè fortè de ipso suspicantes, eventem, esse à Reo illatam per actionem positivè, per se, & contra Jus Accusatoris effectivam damni. Ad quod ostendendum non solum impertinenter, sed etiam contra seipsum Adversarius allegavit S. Thomam 2. 2. q. 69. a. 1. ad 3. dicentem. [Ille, qui mentitur in Judicio, excusando, facit & contra dilectionem DEI, cujus est judicium; & contra dilectionem proximi, tum ex parte Judicis, cui debitum negat, tum ex parte accusatoris, qui puniatur, si in probatione deficiat.] Quibus Verbis S. D. solum damnum punitionis, à Reo nec positivè, nec contra obligationem Justitiæ, sed Charitatis illatum, agnoscit, neque aliquod debitum erga Accusatorem, sed duntaxat erga Judicem prætendit.

306. Unde universim præter Obligationem Obedientiæ erga Judicem, legitime interrogantem, (quam l. c. expressè excipit P. Haunoldus) rectè idem Autor dixit, Reum non obligari ulli mortalium ex Justitia ad confessionem criminis (sumendo Justitiam, prout specie differt ab obedientia, quam quidem S. D. etiam ad Justitiam commutativam tanquam propriam illius speciem reducit, 2. 2. q. 104. a. 2. ad 1. Et 2. dist. 44. q. 2. a. 1. ad 3.) Contra quam assertionem rursus innoxie oppositur Testimonium S. Thomæ in respons. ad 1. dicentis: [Quòd quando aliquis secundum ordinem Juris à Judice interrogatur, non ipse se prodit, sed ab alio proditur, dum ei necessitas respondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur.] His quippe Verbis neque vestigium obligationis ex Justitia, præsertim erga accusatorem, indicatur; sed contra objectum sibi S. Chrysostomi textum, inquit. *Non dico tibi, ut te prodas in publicum, neque apud alium accuses.* Angel. Doctor solummodo respondet, Obligationem obedientiæ erga Judicem, legitime præcipientem, ac exigentem Confessionem criminis, non Adversarii doctrinæ S. Chrysostomi. Hanc ergo obligationem obedientiæ solam, à P. Haunoldo, ut dixi, exceptam, S. Thomas nominè

Justitiæ designat, quando in corpore articuli ait: [Dicendum, quòd quicumque facit contra debitum Justitiæ, mortaliter peccat. Pertinet autem ad debitum Justitiæ, quòd aliquis obediat suo Superiori in his, ad quæ Jus prælationis se extendit. Judex autem, ut supra dictum est, superior est respectu ejus, qui judicatur. Et ideo ex debito tenetur accusatus Judici Veritatem exponere, quam ab eo secundum formam Juris exigit.]

307. Quòd verò ex hac obligatione (de qua, an illimitata sit, Contr. 71. dicitur) nullum oriatur Accusatori Jus ad Confessionem Rei, probatur nunc positivè contra Adversarium. Per hoc, quòd aliquis ex obedientia obligetur ad præstandam quandam actionem, ex cujus omissione cuidam tertio oritur grave damnum, non sequitur huic fieri injuriam, si actio nullo alio Jure sit illi debita; ergo sicut Reus non faceret injuriam, si cum infamia alterius extra Judicium legitimum accusantis, vel innocentem in suspicionem tracti, negaret crimen, ita nec faciet injuriam, si neget in Judicio legitimo; quia per hoc tantum subicitur Judici, non autem accusatori. Confirmatur à pari. Reus posset ex carcere fugere sine injuria Custodis, etiam si Custodi gravissima poena & damnum oriretur: ergo etiam potest sine injuria Accusatoris, grave incurrentis damnum, negando crimen, mortem vel aliud grave supplicium effugere. Itaque Adv. non tantum Rei, sed etiam Accusatoris nullum agit Patronum.

CONTROVERSIA LXIX.

DOMINIVM ECCLESIASTICORVM.

An hoc se etiam extendat ad reditus superfluos.

308. VT pateat, à P. Haunoldo to. 1. de Just. tr. 4. n. 70. non perperam, ut Adversarius arguit, relatum esse Theologorum Antesignanum pro sententia affirmante, Beneficiarios habere Dominium quorumcunque proventuum ipsis superfluum; propria S. Doctoris verba ex locis à P. Haun. citatis exhibebam. nam 2. 2. q. 185. a. 7. sic inquit. [Si distincta sunt bona, quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his, quæ sunt pauperibus, & Ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda, & si aliquid sibi retinuerit Episcopus de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum Ministrorum, aut in cultum Divinum expendenda, non est dubium, quin contra si dem dispensationis agit, & mortaliter peccat. & ad Restitutionem tenetur. De his autem NB.

NB. quæ sunt specialiter suo usui deputata, (id est, quæ in Divisione Bonorum Ecclesiasticorum in quatuor partes, Episcopi portioni cedebant ex constitutione Simpliciæ Papæ cap. de redituibus 12. q. 2.) videtur esse eadem ratio, quæ est de proprijs bonis, (id est, Patrimonialibus) ut scilicet propter immoderatum affectum, & utrumque peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & alijs non subveniat, sicut requirit debitum Charitatis.] Addit M. Soto lib. 10. de Just. q. 4. a. 2. inquit. [Corrugenda sunt impressiones, quibus deest ultimum hoc Verbum: sicut requirit debitum Charitatis: imò vehementer opinione teneor, deesse etiam, quod ad restitutionem non teneatur.] Quæ opinio partim colligitur ex particula *Quidem*, in textu S. Thomæ pariente expectationem alicujus subnectendi per particulam *Sed*; partim per distinctionem Bonorum alijs deputatorum à portione Episcopi, per quam volebat S. Doctor indicare diversitatem obligationum, ad neutra bona malè dispensanda, ita tamen, ut quemadmodum de prioribus dixit: *Et ad restitutionem teneatur*: sic de posterionibus dictum velit: *Sed ad restitutionem non teneatur*.

309. Verum, siue Vitio librorum, siue ex parafimonia Verborum, prædicta verba non sint expressa, mens S. Doctoris satis patet, quod de Bonis usui Episcopi deputatis dixerit esse eandem rationem, quæ est de proprijs Bonis, ut adeoque similiter approprientur: & immoderatum usum damnaverit quidem, sed non peccati injustitiæ, & obligationis ad faciendam restitutionem, sicut tamen damnavit usurpationem de alijs tribus portionibus. Quam doctrinam de dominio indiviso in omnia Bona usui Episcopi deputatorum, sed deinde moderando secundum regulam prudentis necessitatis, citatus M. Soto a. 3. multiplici ratione probat, mentemque Sancti sui Magistri declarat, atque in septima ratione ita loquitur de superfluo. [Qui dicunt rigore Justitiæ, tanquam Veris Dominis, pauperibus id deberi, subsequenter dicere coguntur, quod aliter facientes ad restitutionem teneantur. Quod autem consequens ineptè, atque ut bonâ Veniâ dixerim, inaniter concedatur, arguitur &c.] Idem paulò post de eadem opinione, negante Beneficiatis Dominium in proventus notabiliter superfluos, quæ est Cajetani, subjungit: *At verò opinionem hanc improbi Cajetanus ex S. Thomæ elere nequit. Quomodo ergo illam eliciet Adversarius?*

310. Alterum Testimonium Angelici Doctoris habetur quodlib. 6. a. 12. ad 3. ex quo patebit, in quibus bonis Ecclesiasticis consuetudinem illa expendendi ad usus profanos, & quæ ratione à se assertam consuetudinem approbet S. D. dum ait. [Aliter dicendum est de illis Ecclesiasticis bonis, quæ principaliter sunt at-

tribuenda necessitatibus pauperum, & ex consequenti necessitatibus Ministrorum, sicut sunt bona hospitalium, & aliorum hujusmodi. Et aliter de illis bonis, quæ sunt principaliter attributa usibus Ministrorum, sicut sunt Præbendæ Clericorum, & alia hujusmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius, & ideo tenetur ad restitutionem, tanquam defraudator rei alienæ. In secundis verò bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut & de Bonis Patrimonialibus dictum est: unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam.] Quid clarius de dominio portionis Clericalis per immoderatum usum absumptæ dici poruisset? & quomodo distinctius potuisset decidere S. D. ad qualem obligationem tollendam, vel non tollendam consuetudo Summorum Pontificum tacito assensu approbata, se se extendat, vel non extendat. Quia nimirum constanter jubentur Beneficiati redditus superfluos ad pias causas expendere, malè tamen expensos non coguntur compensare, neque illi, qui eos titulo etiam non oneroso acceperunt, compelluntur ipsos restituere, vel ad piam causam erogare; hinc consequens est, per consuetudinem tolli vel impediri obligationem Justitiæ, non autem Obedientiæ, Religionis, vel Charitatis, ad superfluos proventus in pias causas expendendum.

311. Videat nunc Adversarius, quàm non perperam P. Haunoldus retulerit, sed ipsè perperam intellexerit S. Thomam, dum in sua thesi 69. ait: [Ex locis citatis plus non posse erui, quàm quod Beneficiarij eos fructus faciant suos, qui officio per modum debiti stipendij, & congruæ sustentationis correspondent, & sic sunt bona quasipatrimonialia.] Quibus Verbis non tantum contradicit S. Doctori, sed etiam adversatur Concilio Trid. sess. 22. cap. 3. & sess. 23. cap. 1. & sess. 24. cap. 12. de Reform. Ubi statuit, ut ij, qui intra duos Menses à die capte possessionis Beneficij Ecclesiastici, professionem fidei non fecerint; item qui intra annum ultra tres Menses à loco Beneficij abfuerint, fructus non faciant suos: quibus verbis cum non tantum necessarijs, sed etiam superfluis fructibus priventur, Concilium non rectè usum esset, si aliàs Superfluos non facerent suos, seu: quod idem est, & ut etiam Bonifacius VIII. in cap. Finito de Clericis non residentibus, loquitur, Dominium non acquirerent.

312. Patet etiam ex dictis, quod P. Haunoldus S. Thomam, quodlib. 6. c. 12. non impertinenter adduxerit in testem consuetudinis, quam Cavar. cap. Cum in Officijs de testam. n. 3. ait his temporibus esse totius Christiani Orbis, Cui, si corruptela esset, ietetur obviam per Summos Pont.

Pont. tenerentur enim prohibere, quæ sunt contra Justitiam, & se pauperes, Christi membra, tam grave detrimentum ex negata restitutione, & compensatione debitorum sibi bonorum, in rebus suis acciperent. Ex hac tamen consuetudine, ut ostensum est, minimè probatur, prout Adversarius detorquet, non tantum ab Injustitia, sed à quovis peccato mortali immunes esse Clericos, qui ejusmodi superflua in pias causas non erogarent.

313. Neque Sanctissimo, & Canonum Observantissimo S. Thomæ prædicta sententia est indigna. Licet enim Bona Ecclesiastica, à SS. Patribus & Variis Canonibus dicantur patrimonium Christi, bona pauperum, DEI Bona: & in Trid. Clerici istorum Bonorum vocentur oekonomi, Dispensatores, & si fructus istos malè expenderint. Fures, latrones &c. Hujusmodi Verba, ut ipse S. Thomas cit. q. 185. a. 7. ad 1. testatur, non solum sunt referenda ad dispensationem rerum Ecclesiasticarum, sed quorumcunque bonorum, ex quibus tenetur aliquis debito Charitatis providere necessitatibus patientibus. Unde per talem piam exaggerationem etiam laici vocantur homicidæ pauperum, etsi verum habeant dominium, & tantum ex Charitate obligentur ad dandas elemosinas. Deinde ut respondet Mol. disp. 144. §. ad primum, alluditur ad tempora antiquiora, quando nondum facta est divisio bonorum Ecclesiasticorum in quatuor partes, sed Episcopi, tanquam Administratores, Bona Ecclesiastica pro cuiusque indigentia distribuabant.

CONTROVERSIA LXX.

INTERFECTIO INNOCENTIS.

An hæc sit licita Iudici, procedenti secundum allegata & probata.

314. **M**ALè probat Adversarius suam Thesin ex S. Thoma, quando P. Haunoldus ro. 5. de Just. tr. 2. n. 39. docentem, quod in causis criminalibus, ubi agitur de pena mortis, non liceat condemnare innocentem, cognitum privatâ scientiâ, quantumvis sufficienter per allegata convictum, asserit Inordinate favere Innocentibus, eumque impugnât Authoritate S. Doctoris 2.2. q. 64. a. 6. oppositum asserentis. Nam ipse P. Haunoldus contra se adduxit S. Thomam, & contra illum probavit, suam sententiam esse Speculativè, & secundum intrinseca principia spectatam, probabiliorè, pro qua citavit Calderinum, Rosellam, Angelum, Liranum, Panormitanum, Immolam, Lefs. Coninck, Card. deLugo, Layman, quibus Diana p. 5. tr. 4. Refol. 221

addit Sylvium, quinque rationibus nixum, Petrum Navarram, Malderum, & alios. Itaque Adversarius non tantum debuisset referre, sed confirmare, & efficaciter dissolutis contrariis argumentis roborare sententiam S. D. Verum quia hoc obsequij non præstitit suo Magistro, ego id præstabo meo, ipsius tamen Verbis: sic enim P. Haun. l. c. argumentatur. [Occidere innocentem (idem est de mutilatione) auctoritate humanâ præcisè, est intrinsecè malum, neque est apud Kempub. Dominium altum Vitæ, aut membrorum, sicut aliorum bonorum: ergo non potest in Iudice esse potestas dammandi ad mortem aut mutilationem eum, quem scit esse innocentem.]

315. In hoc argumento videtur quidem negari posse Suppositum antecedentis, quod Iudex procedens secundum allegata, occidat innocentem; quia, ut inquit S. D. 2.2. q. 64. a. 6. ad 3. ipse non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentem. Verum, huic responsioni opponitur illud, quod S. Augustinus in pl. 61. ad vers. 2. dixit de Judæis & Pilato, in Christum ferente Sententiam mortis. Si reus, quia fecit vel mortuus, illi innocentes, qui coegerunt, ut faceret? Nullo modo. Sed ille dixit in eum Sententiam, & interfecit eum crucifigi, & quasi ipse occidit. Quamvis autem in hoc Pilatus gravius peccaverit, quod damnaverit Christum, non sufficienter per allegata convictum, quam peccaret Iudex, condemnans sufficienter convictum, tamen etiam iste verè diceretur occidere eum, ad cuius mortem per latam sententiam determinaret, & jubendo impelleret; & quia actio imperata esset in se mala, utpote occisio innocentis, cogniti ut talis, quique per Testimonia convictus non verè, sed tantum apparenter redidit nocens, ideo etiam imperium esset malum, cum non procederet ex publica potestate, collata à DEO duntaxat ad inferendam mortem nocentibus: Forma autem Iudicii, & testificatio sufficiens ad Fidem exterius faciendam, non est sufficiens ad actionem intrinsecè malam, faciendam bonam, sicut sufficiens probatio ad persuadendum valorem matrimonij, non est sufficiens ad decernendum & imperandum usum matrimonij, quando Iudex habet privatam notitiam impedimenti dirimentis: quia copula cum non verè sua est intrinsecè mala.

316. Ceterum, ut optime advertit P. Haunoldus n. 36. Vix potest contingere casus, quo Iudex non possit absque gravissimo suo incommodo liberare Reum innocentem, V. G. excogitando legitimas exceptiones contra accusatorem, examinando testes simili dexteritate, quali examinavit Daniel duos senes, Sufanæ Accusatores, ut deprehendat eorum difformitatem, ac Testimoniorum inconvenientiam: faciendū occasionem fugæ per negligentem custodiam

studium : remittendo ad iudicem Superiorem cum Testimonio privatæ notitiæ, vel, si Iudex supremus sit, condonando, aut commutando poenam. Plura similia media legi possunt apud Dianam l. c. & alios D. D. Quare Sententia P. Haun. etiam ex hoc capite est commendanda, quod adigat Iudicem ad aliquem modum excogitandum, quo liberet innocentem ab extremo & gravissimo Supplicio.

CONTROVERSIA LXXI.

REI CONFESSIO.

An ad eam teneatur juridicè interrogatus.

317. Quod ab Adversario immeritò dicatur *Debilis Speculatio* P. Haunoldi, to. 5. de Just. tr. 2. n. 317. docentis : *Facta juridicè interrogazione non teneri Reum sub mortali fateri veritatem, si timeatur sententia mortis, & spes sit evadendi*, ex eo redditur manifestum, quia Adversarius contrarium non evincit. Non enim hoc ipso, quod Iudici competat Jus exquirendi Veritatem per torturam, (quod Jus ad formam Iudicij spectare, non opus erat probare, cum id nemo ex nobis neget) correspondet in Reo obligatio in conscientia fatendi delictum, ut Adversarius contendit, nec sufficienter probat ex S. D. 2. 2. q. 69. a. 1. in corp. ita quidem scribente. [Pertinet ad debitum Iustitiæ, quod aliquis obediat suo Superiorem in his, ad quæ Jus prælationis se extendit. Iudex autem Superior est respectu ejus, qui iudicatur. Et ideo ex debito tenetur accusatus Iudici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam Juris exigit. Et ideo si confiteri noluerit Veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.] Verum, hic textus non est exclusivus omnis exceptionis, quin obligationi in conscientia fatendi Veritatem, substitui possit in Reo necessitas subeundi, & Jus in Iudice inferendi torturam.

318. Ratio exceptionis à mente S. Thomæ non alienæ, desumi potest ex ipso S. Thomæ, qui q. 69. a. 4. ad 2. ait : *Non tenetur (Reus) facere id, unde mors sequatur, quod est manere in loco; unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quod justum est eum pati.* Sublumo. Atqui fateri crimen capitale, est facere id, unde mors sequatur : ergo Reus non tenetur fateri crimen : tenetur tamen non resistere inferenti torturam, quin patiatur, quod justum est eum pati, id est, ad quam torturam inferendam Jus competit

Iudici, legitimam formam Iudicij servanti.

319. Ex prædictis Verbis S. Doctoris colligitur adhuc aliud argumentum à pari, assertæ nostræ exceptionis. Sicut Reo, etiam legitimi Iudicis prohibitione, vel aresti dictatione non obstante, licitum est, fugâ physicâ & corporali servare vitam, etiam si, manendo non se positivè occideret, sed tantum negativè, & permittivè, nec tamen ex hac licentiâ violatur Jus Superioris, nec Iustitiæ Vigor enervatur : Sic etiam legitimi Iudicis prohibitione non obstante, licitum est, fugâ morali, & mentali, per abnegationem delicti cum reservatione mentali, seu cum usurpatione Verbi *nego* in sensu Contr. 68. explicato, servare Vitam, etiam si fatendo delictum Reus non se positivè occideret; nec tamen ex hac licentiâ violatur Jus Superioris, nec Iustitiæ Vigor enervatur, cum pro obligatione non celandi Veritatem suppetat aliud medium, nempe Jus torturæ, longè efficacius extorquens Veritatem, quam obligatio conscientie, liberè violabilis, & in ordine ad processum Externum judicalem parum utilis. Vnde aliud est : dari iu Superiore Jus interrogandi Reum, & non confitentem torquendi, quæ est potestas civilis : & aliud : dari Jus obligandi in conscientia ad Confessionem : quod ab Adversario dicimus, tam parum probari posse, quam Jus obligandi ad non violandum arestum indicium.

320. Confirmatur sæpius dicta exceptio aliâ adhuc paritate. Non magis pertinet ad debitum Iustitiæ, quod aliquis obediat suo Superiorem in his, ad quæ Jus prælationis se extendit &c. quam quod aliquis relinquat suo domino omnia ea, ad quæ Jus proprietatis se extendit; suppositâ enim Jurisdictione & Rerum divisione, utrumque est ex obligatione naturali debitum : Ergo sicut à posteriori debito natura exceptit extremam necessitatem, propter congenitum amorem Vitæ, & inobservabilitatem illimitati debiti, ita etiam in priori in ordine ad Confessionem delicti solo præcepto humano, & per torturam longè efficacius supplebili, debitum, exceptit periculum mortis, ob eandem rationem : præsertim cum Leges humanæ ex communi D. D. consensu non habeant ita absolutam & irrelaxabilem vim obligandi, sicut leges Divinæ, versantes circa objectâ, ideo prohibita, quia mala, & non ideo præcisè mala, quia prohibita : Celario autem criminis, seclusâ prohibitione, non est intrinsecè mala.

321. Vnde hanc sententiam, ut probabilem, & in praxi tutam fatentur viginti quatuor Autores, nominatim à P. Haunoldo l. c. relati, & pro ea refert ac sequitur Diana longè plurimos p. 2. tr. 15. Resol. 26. & 27. rursum p. 3. tr. 5. Resol. 103. & p. 10. tr. 13. Resol. 13. Vbi adversus Texedam, notam improbabilitatis illi inu-

rentem,

gentem, ex eiusdem Inclyta Religione Domini-
cana opponit Sapientissimum Magistrum Serra,
hæc ex illo excipiens Verba. [Sylvester
hanc sententiam non iudicaret improbabilem,
etiam NB. in Via D. Thomæ: cum Verbo Ac-
cusatio 1. q. 13. & Verbo Confessio q. 1. illum
intelligat, quando agitur ad pœnam spiritua-
lem, non aliam. Ego absolute hanc sententi-
am ob Autoritatem Auctorum citatorum, & ar-
gumenta facta, probabilem esse iudico, sicque
non esse cogendos mileros reos, etiam si iudicē
interrogentur in causa capitali, confiteri cri-
men.] Quid ad hæc Adversarius? Aliud
nihil; nisi quod adhuc obiter indicet aliud argu-
mentum P. Haunoldi, & ad id obiter responde-
at, dicens: [Nec movere debet, quod hæc
obligatio, ut indicavit Haunoldus, paucos mo-
veret; quia exemplis non est iudicandum, sed
legibus. L. sed liceat. 12. ff. de Officio Præsi-
dis.]

322. Verum, præterquam quod Autor
non videatur ipse in se ipse legem, sed ex alio
retulisse, unde facile irrepsit pro initio legis, sed
licet, initium male impressum, ed liceat, allata lex
non quadrat huic loco, illa enim non approbat
obligationem, ut utilem, quæ paucos moveret,
sed Prædictis provinciæ æqui & iusti, secundum
rationem, & non secundum mala exempla pro-
curandi modum præscribens, dicit: *Sed licet is,*
qui provinciæ præest, omnium Romæ Magistratum
Vice, & officio fungi debeat, non tamen spectandum
est, quid Roma factum est, quam quid fieri debeat.
Deinde, si in præfenti Controversia ex legibus ci-
vilibus de obligatione conscientie iudicandum
esset, ex his potius confirmaretur contra Adver-
sarium sententia P. Haunoldi. Nam L. 4. ff. de
testibus dicitur. *Lege Iulia iudiciorum publicorum*
cavetur, ne invito denuntietur, ut testimonium litis
dicat adversus socerum, generum, Viricum, privignū,
sobrini, sobrinam, sobrinum natum, eosque, qui priori
gradu sint. Ex hac lege, in naturali amore erga
sanguine iunctos fundatā, subsumo. Atqui ne-
mo cuiquam magis est sanguine iunctus, quam
ipse sibi: ergo multo magis eximendus est ab
obligatione in conscientia dicendi testimonium
litis adversus seipsum in causa mortis, quando
propter administrationem iustitiæ, & punitionem
proprij criminis, omnino a foro, & a Jure
interrogandi, vel etiam torturæ, eximi non po-
test, vel ab obligatione dicendi verum in causis
minoribus, non supplebili per torturam. Et
L. 7. C. de testibus habetur. *Nimis grave est, quod*
pœnis, urgeri partem diversam ad exhibitionem eorum,
per quos sibi negotium fiat. Unde intelligitis, quod
intentionis vestra proprias adferre debetis probatio-
nes. Iterum subsumo. Atqui hoc multo magis
grave est, obligari partem ream in conscientia,
ut confessione criminis capitalis sibi ipsi omnium
gravissimum negotium faciat: ergo non est ob-
liganda ad Confessionem criminis, quæ esset

omnium efficacissima probatio; sed probationes
aliunde sunt afferendæ. Itaque credo Adver-
sarium jam penitus provocacionis ad leges, sæ-
pe duntaxat præscribentes formam processuum
judicialium non disponentes quo ad obligatio-
nem Conscientiæ, ut taceam, quod ille supponat,
dari eam legem obligantem Reum, & non pro-
bet, ut debebat probare.

CONTROVERSIA LXXII.

RESTRICTIO MENTALIS.

*An hæc aliquando sit li-
cita.*

323. Q. Vemadmodum P. Haunoldus, 1. de
Jult. tr. 4. n. 784. me ito, ut illicitam
improbatur locutionem externam cum mentali
restrictione ad verum sensum, si talis restrictio
fiat sine rationabili causa; ita efficacibus argu-
mentis, ab Adversario, ut ex silentio illius col-
ligo, insolubilibus, cum valde communi sen-
tentia recte probat, ejusmodi locutionem men-
te restrictam non habere rationem mendacii, sed
ex rationabili causa posse esse licitam; quod cla-
ris Verbis indicat S. Th. 2. 2. q. 111. a. 1. ad 1. ubi
ex S. Aug. ait: [Non omne quod fingi-
mus, mendacium est; sed quando id fingimus,
quod nihil significat, tunc est mendacium. Cum
autem fictio nostra referatur ad aliquam signifi-
cationem, non est mendacium, sed aliqua figura
Veritatis.] Hoc ipso restrictionem menta-
lem continens, si ad aliam occultam signifi-
cationem referatur, quam qualem Verba, & cir-
cumstantiæ, in quibus prolata sunt, exterius de-
notare videntur. Per talem figuratam restri-
ctionem mentalem idem S. Doctor 3. diff. 33.
a. 3. ad 1. excusans Verba Jacob, Gen. 27. alle-
rentis se esse primogenitum, inquit, [Di-
cendum, quod Verba, quæ Jacob protulit, NB.
secundum aliquem Intellectum (restrictentem
Verba) necessitatem vel veritatem habuerunt:
Sibi enim primogenitura DEI electione debeba-
tur, & ad illum intellectum Spiritus Sanctus
Verba ordinabat, cujus instinctu & intellectu
Verba ordinabat, sive ipse illum intellectum ex Verbis
acciperet explicitè, sive NB. implicitè (per re-
strictionem mentis) hoc significare intendens,
ad quod Spiritus Sanctus ordinabat, unde NB.
a mendacio excusatur: & eadem ratio est de
omnibus Verbis, quæ mendacium sapere viden-
tur ab illis Viris prolata, in quibus mendacium
concedere nefarium videtur.] Idem dicit, &
Scripturæ exemplis confirmat S. Doctor 1. 2. q.
110. a. 3. ad 3. Si autem, ut Adv. contendit, lo-
cutio externa, audienti pariens falsum sensum, per

per restrictionem mentalem ad verum sensum, sed occultum, & reticentia plurium verborum suppressum, non excusaretur à mendacio, non posset instinctu & ordinatione Spiritus Sancti reddi licita talis locutio, quæ teste S. Thomâ mendacium sapere videtur.

324. Et hoc erat primum argumentum P. Haunoldi n. 786. quod sequenti numero confirmat Testimonio S. Gregorij in Ezechielem in princip. dicentis, Prophetas quandoque conjungere Verbum Oris, verbo mentis, ut scilicet mente subintelligant, quæ per Verba in vero suo sensu expressa, non integrè & explicitè declarant, quo modo loquendi vero, sed dimidiato, & abrupto per restrictionem mentalem, P. Haunoldus rursus confirmat suam assertionem; Adversarius vero illius vim frustra nititur enervare his verbis.

[Si liceat id, unde sensus integri sermonis pendet, mente servare, dicendo V. G. *Petrus non existit*, si mentalis propositio dicat, *non existit in hoc loco*, quo exemplo utitur Haunoldus; etiam visis quibusdam opulentis, quis poterit dicere: *isti sunt divi*: reservatâ mentaliter Syllabâ, res: quia non minus mutatur sensus enuntiationis per reservationem vocis integræ, quam significatio nominis per retentionem unius syllabæ: quis autem non mallet cum suo cane, quam cum tali focio conversari, qui pro divitibus obtruserit ei divos?]

325. Verum, si est paritas inter retentionem Syllabæ, qua prorsus unum Verbum in aliud mutatur, sicut per ablationem unius numeri juxta Philosophum mutatur essentia numeri, quia numerus constituit in indivisibili, uti etiam quodlibet Verbum; si, inquam, est paritas inter retentionem Syllabæ, & inter retentionem aliquorum Verborum, quæ Verba prius prolata non mutantur in alia, & suam veram significationem retinent, sed tantum non absolvunt, & patiunt integrum sensum mente conceptum, & obrationabilem causam suppressum, (quam disparitatem pro solutione sui argumenti noter sibi Adversarius) tunc merito ponit Adversarium cane suo mordacioris interrogationis; quia utique Apostoli non maluissent cum cane, quam cum amantissimo suo Magistro conversari, qui teste S. Thomâ sapius reticere solitus est aliqua Verba, ad prolatorum sensum integrè complendum necessaria. Nam illa Verba Christi apud Joan. 7. v. 8. *Vos ascendite ad diem festum hunc. Ego enim non ascendam ad diem festum istum*: quibus mox subjungitur, *ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto*. S. Doctor loco cit. in Evang. lect. 1. ad finem. ita explicat, supplendo quædam verba reticita. *Vos ascendite ad diem festum hunc. Scilicet ad principium festi: nam septem diebus celebrabatur: ut dictum est. Ego autem non ascendam NB. scilicet. Vobiscum,*

sive ad principium festi. Idem S. D. hæc Verba Christi apud Mar. c. 13. *De die autem illa nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius hominis, nisi Pater.* Supplet 3. p. q. 10. a. 2. ad 1. addendo, quod Filius hominis non sciat, *faciendo scire*, seu scientiâ, faciente scire. Similiter his verbis, ut optimè advertit P. Haunoldus in prima probatione conclusionis, *Non est mortua puella; sed dormit*: Mat. 9. debet per mentalem subauditionem addi, *morte diuturnâ usque ad communem resurrectionem*; quia mox à Christo erat resuscitanda, quasi à somno suscitaretur. Imò ipse S. Joannes Evangelista, Theologorum Phoenix vel Aquila, testatur cap. 2. hæc Verba: *Solvite templum hoc*: per reticentiam Verbi Corporis à Christo prolata esse: *Ille vero*, inquit v. 21. *dicebat de templo corporis sui.*

326. Tantæ auctoritati, restrictionem mentalem ex rationabili causa licitam declaranti, subjungo nunc ultimum argumentum P. Haunoldi n. 788. sic efformatum. Natura, hoc ipso, quod dederit Jus occultandi veritatem in certis casibus illi, qui eam injustis modis, vel interrogationibus præjudiciosis de cordis arcano elicere cupit, debuit providere modum licitum, declinandi hujusmodi veritatis detectionem: atqui sapius non esset alius modus, nisi per mentalem reservationem; quia silentium frequenter haberetur pro Confessione, & verba æquivoca sæpe non suppetere: ergo reservatio mentalis debuit esse modus licitus, in certis casibus declinandi Veritatis detectionem: cum Verba, mentali reservatione restricta, neque sint oratio falsa, sed imperfecta, & illa proferens non intendat significare falsum, sed tantum permissivè se habeat ad hoc, quod alter judicet falsum ex Verbis, ad sensum verum ex intentione loquentis hic & nunc ordinatis, quemadmodum suprà de Prophetarum, & Christi locutionibus dictum est.

327. Vnde Sotus lib. 5. de Just. q. 6. a. 2. concl. 7. expressè testatur, quando testi non legitime interrogato à Judice, nullum aliud remedium superest celandi veritatem, posse illum respondere *Nescio*, subintelligendo, *ut tibi modò dicam*; etiam si propriis oculis id, de quo interrogatur, vidisset. Ceteri Doctores, sanè plurimi, qui eandem cum P. Haunoldo sententiam tenent, videri possunt apud Dicast. disp. 2. de Juram. dub. 12. n. 300. ubi inter ceteros refert Navat. Palud. Adrianum, Richard. Majorem, Gabrielem, Sylvest. Salonium, Rodriq. Filiarch. quibus Diana p. 3. tr. 6. Resol. 30. accedit, & addit Reginaldum, Pefantium, Stephanum Emonerium, & alios, ex quorum Testimoniis plures quæstiones pro praxi resolvit.

328. Opponit tamen Adversarius adhuc auctoritatem S. Thomæ 2. 2. q. 111. a. 1. cujus hæc Verba sunt.

[Veritati opponitur, quod ali-

